A enim patentiora loca ſortiuntur, vim omnem amittunt, & quaſi rapto curſu quieſcunt, ſi modò in perenni flumine quies eſſe poteſt; donec rurſus aditu patefacto, veluti ex carcere proſiliunt, atque alacritate quadam relictis impedimentis, limpidiſſimo curſu erumpunt, in novumque alveum ſemetipſa conſtringunt. Teſtis nobis eſt Lacus Larius, qui quaſi princeps Lacuum dicitur (Hetruſci enim appellant principem Laronem, Larunem & Arunem.) Hunc efficit vel in immenſum auget Abdua fluvius limpidiſſimus, qui ex Rheticis alpibus per Voltulenam vallem evolvitur. Meminit autem hujus *Strabo*, *Plinius*, & *Virgilius*, & noſtro tempore *Iovius*, *Epiſcopus-Nucerinus*, exactam diligentiam in deſcribendo, & depingendo illo præſtitit. Idemque flumen limpidiſſimum, & pellucidum, ex illo erumpit propè Leucum oppidum, & vulgò Abda vocatur. Jure igitur putabitur ſtupendum, ut Caſſiodori verbis utar, quòd ſimile cunctis qualitatibus elementum, per pigrum ſtagnum vides ire celerrimum, ut amnem per ſolidos campos putes decurrere, quem ſe peregrinis undis non videas colore poſſe miſcere. Hoc flumen Abduam vel Abdam, cum iter Mediolano Bergomum verſus B faceremus, ad Vicum Caſanum, rate trajecimus. In Verbanum ingreditur Ticinus, qui ad Seſtum rapidiſſimus & limpidiſſimus egreditur.

In Germania noſtra habemus omnium amœniſſimum Lacum Acronium. Hic receptis aliquot ignobilioribus, attamen rapidiſſ. amnibus, vel latitudine, vel longitudine, aut etiam profunditate, iſtos quos nominavimus, ſi non ſuperat, tamen iis non multùm cedit, quem Rhenus, noſtrorum fluviorum Rex, tranſiens, uti fertur, ſincero curſu, undaſque ſuas virides, eaſque integras retinens, neque auctis nivibus, vel imbribus, craſſiorem materiam relinquens, prope Conſtantiam lætabundus magna feſtinatione, ad deſtinatum curſum longè latèque perficiendum (qui 140. millia Germanica à ſcaturigine uſque ad Oceanum excedit) erumpit. Hunc lacum *Ammianus Marcellinus* appellat Brigantiæ, cujus verba licet aſcribere, qui id ipſum, quomodo de hoc lacu, tunc temporis ignobili, diximus, diligentiſſimè obſervavit. Inter montium celſorum, inquit, anfractus, impulſu immani Rhenus diſcurrens, extenditur per Lepontios, perque deciduas cataractas inclinatione pernici funditur, ut Nilus torrente ab C ortu protinùs primogenio, copiis aquarum propriis irruenti curſu ſimplici. Jamque adjutus nivibus liquatis ac ſolutis, altaque divortia riparum abradens, lacum invadit rotundum & vaſtum, quem Brigantium accola Rhetus appellat, perque quadringenta & ſexaginta ſtadia longum, parique penè ſpacio latè diffuſum, horrore ſylvarum ſquallentium inacceſſum (niſi qua vetus illa Romana virtus & ſobria inter compoſuit latum) Barbaris & natura locorum & cœli inclementia refragante. Hanc ergo paludem ſpumoſis ſtrependo verticibus amnis irrumpens, & undarum quietem permeans pigram, mediam velut finali interſecat libramento, & tanquam elementum perenni diſcordia ſeparatum, nec aucto, nec imminuto agmine quod intulit, vocabulo & viribus abſolvitur integris, nec contagia deinde ulla perpetiens, Oceani gurgitibus intimatur. Quodque eſt impendio mirum, nec ſtagnum aquarum rapido tranſcurſu movetur, nec limoſa ſub nive tardatur, properans flumen, & confuſum miſceri non poteſt corpus; quod ni ita agri ipſe doceret aſpectus, nulla vi credebatur poſſe diſcerni. Sic Alphæus oriens in Ar-D cadia, cupidine fontis Arethuſæ captus, ſciendus Jonium mare, ut fabulæ ferunt, ad uſque amata confinia progreditur. *Hactenus Ammianus*. Hic lacus etiam Podamicus, & ab accolis Brigantinis Brigantinus dicitur. Putat autem *Bodinus*, prædones vulgò à Brigantinis Brigantes appellari, ut aſſaſſini, ab ea Perſarum gente, quæ latronum & ſicariorum infamia diutiſſimè laboravit, ut etiam Paulus Æmilius memoriæ tradidit.

Lemanum Lacum influit Rhodanus fluvius, in illoque veluti deliteſcit, donec ad urbem Genevam celeri curſu egrediatur. De hoc etiam audiamus, licèt ſuccinctè, Solinum. Amnis hic, inquit, præcipitatus Alpibus, primò per Helveticos ruit, occurſantium aquarum agmina ſecum trahens, auctuque magno, ipſo, quod invadit, freto turbulentior, niſi cum fretum ventis excitatur. Marcellinus verò de eodem prolixior eſt. Ait enim libro eodem: Apenninis Alpibus effuſiore copia fontium, Rhodanus fluens, & proclivi impetu ad planiora digrediens, proprio agmine ripas occultat, & paludi ſeſe ingurgitat, nomine Lemano, eamque interminans nuſquam aquis miſcetur externis, ſed altrinſecus ſummitates undæ prætetlabens, ſegniores quæritans, exitus viam ſibi impetu veloci molitur. Unde ſine jactura rerum per denſa paludum fertur, E & Sequanos, longèque progreſſus, Viennenſem latere ſiniſtro perſtringit, dextro Lugdunenſem, & emenſus ſpacia fluctuoſa, Ararim, quem Sauconnam appellant, inter Germaniam primam fluentem, ſuum in nomen adſciſcit. Qui locus exordium eſt Galliarum. Exinde non millenis paſſibus, ſed lucis, itinera metiuntur, ubi auctus Rhodanus aquis advenis locupletior, vehit grandiſſimas naves ventorum flatu jactari ſæpiùs aſſuetas, finituſque inter valles, quas ei natura præſcripſit, ſpumeus Gallico mari concorporatur per patulum ſinum, quem vocant Ad gradus ab Arelata octavo decimo fermè lapide diſparatum. Huc uſque *Marcellinus*.

Hoc accidit etiam in aliis minùs nobilibus lacubus, ita ut appareat, lacus plerumque veluti domitores eſſe fluminum rapidiſſimorum, quæ in illis ſuam ferocitatem deponere videntur, donec collectis viribus, majori impetu, ſed minori noxa, in alienum & intra ripas redacta, rurſus velut ex ergaſtulis exitum inveniant. Mira igitur videntur, quæ de lacu Aſphaltite in Palæſtina, quem vulgò Mare mortuum vocant, comperta ſunt. Is enim lacus non ſolùm Jordanem F Palæſtinæ fluvium maximum in ſe recipit, ſed etiam retinet. Hoc etiam Cornelius Tacitus obſervavit. Ita enim de Palæſtina ſcribit: Præcipuum montium Libanum erigit, mirum dictu, tantos in ardores opacum fidumque nivibus. Idem amnem Jordanem alit, funditque. Nec Jordanes pelago accipitur, ſed unum atque alterum lacum integer perfluit, tertio retinetur. Lacus immenſo ambitu, ſpecie maris, ſapore corruptior, gravitate odoris accolis peſtifer, neque vento impellitur, neque piſces aut ſuetas aquis volucres patitur. Incertum unde ſuper jacta, ut ſolido feruntur; periti imperitique nandi perindè attolluntur. Certo anni tempore bitumen egerit: cujus legendi uſum, ut cæteras artes, experientia docuit. Ater ſuaptè natura liquor, & ſparſo aceto concretus, innatat, *&c.*

Libet quoque de hoc lacu adducere teſtimonium *Iuſtini* Hiſtorici. Ita enim ſcribit: In ea regione lacus eſt, qui propter magnitudinem, & aquæ immobilitatem, Mortuum Mare dicitur. Nam neque ventis movetur, reſiſtente turbinibus bitumine, quo aqua omnis ſtagnatur; neque navigationis patiens eſt, quoniam omni vita carentia in profundum mergun- G tur; nec materiam ſuſtinet, niſi quæ alumine illiniatur. Hoc tamen, quòd ſuperjecta in ſolido ferantur (pace Taciti Flavii, Joſephi & aliorum, in quorum numero eſt Diodorus Siculus, dixerim) aliter ſeſe habere, ab aliis audivi, & hoc aſſeverat ex neotericis hiſtoricis *Andr. Thevetus*. Scribit enim ſe vidiſſe, quòd Arabes aſinum in hunc lacum præcipitem dederint, qui ſtatim cum clitellis ſuis ſubmerſus ſit, neque ampliùs comparuerit. Sed ut ad mediationem noſtram revertamur: Aut oportet, ut hujus lacus Aſphaltidis ſuperfluum arenis Arabicis contiguis abſorbeatur, aut abſceſſus habeat latentes, quibus aqua continuè affluens excipiatur, & occultis meatibus cuniculiſque ſubterraneis aliò derivetur. Sicut de mari Caſpio vel Hircano traditum eſt, quòd ab quibuſdam lacus totius orbis maximus dicitur. Id enim cum propemodum infinita, & maxima flumina in ſe recipiat, tamen ubi iſta immenſa moles aquarum continuò affluentium egrediatur, nulli certò conſtat.

Ob eam rem lacus quidam in inſula Hiſpaniola immenſæ latitudinis, eò quòd multa flumina recipiat, & nulla quæ vi- H dentur, egrediantur, ab Hiſpanis Mare Caſpium, ab Indis autem Haneygaban appellatur. De mari Caſpio autem Paulus Jovius ita ſcribit: Hoc mare manifeſto exitu caret, occultis, ut credi par eſt, haurientis naturæ ſpecubus, & cæcis vadis abſorptum. Quod utique mirum eſt, cum tot influentium amnium perpetuo decurſu neque auctum exundet, neque diluta ſalſugine mitigatum, unquam dulceſcat. Toto autem ambitu in ovatam ſpeciem ab Africo per obliquum ad Boream ſe extendens, Euxino ponto magnitudine ferè evadit, ſi à ponto Mæotis Palus Zabacca hodie vocata recidatur, *&c.*

Mirabile quoque eſt, quod de Fucino lacu, quem longitudine parem pelago, & Marſis viciniſque maximè omnibus uſui eſſe, Strabo ſcribit. Mirabile, pergit ibidem, proditum eſt, illum nonnumquam uſque ad montana creſcere, interdùm autem rurſus decreſcere, ut merſa priùs lacu loca deſiccentur, & agricolationem ruſticis exhibeant. Quæ ſubterranei humoris tranſitione occulta quadam ratione ſparſim efficiuntur. Denuò autem in unum fontes confluunt,

A aut omninò deficiunt, aut curſum confligunt, quemadmodum de Amenano per Catanam defluente traditur. Qui quidem annos complures evaneſcens, iterùm excurrit. Hæc Strabo.

Non minùs mirum eſt, quod de Lugæo olim, hodiè verò ab oppidulo vicino, Gyrchnitzenſi lacu in Carnia narratur: Hunc Ortelius non ſolùm elegantiſſimè depinxit, ſed etiam ita ex Lazio & Vvernero deſcripſit: Hic locus (ſic eum voco, nam an eum lacum, vivarium, aut aruum rectiùs appellaverim, neſcio) annis ſingulis frumentum, piſcationem & venationem exhibet. Clauditur circumquaque montibus: patet ad ſeſquimilliarium, minùs laxa latitudine pleriſque in locis decem & octo cubitos altus eſt, & ubi minimum profundus, æquat juſtam humani corporis menſuram. Ex montibus circumpoſitis rivi quidam ignobiles procurrunt, ſuo quiſque alveolo, ab orientali quidem plaga tres, ab auſtrali quatuor. Singuli ipſos cohibent, donec poſtremò abſorbeantur ſcrobibus ſaxeis, ita natis, ut humano opere exciſæ videri poſſint. (Argonautarum navigationis ſubter terram argumenta hæc putat Lazius.) Hinc aquis redundantibus, ut recipi non poſſint, B fit, ut regurgitent ſcrobes, neque ſolùm nihil aquæ admittant, ſed etiam quicquid receperint, effundant tanta celeritate, ut refluxus impetum equiti quamvis expedito, & fugienti, ægrè effugere liceat. Ita quacumque patet locus, diffunduntur aquæ, & lacum efficiunt. Hæ aquæ non minùs ferè celeriter recedunt, quàm acceſſerunt, ſed non per ſcrobes illas tantùm, ſed univerſa penè terra eas non aliter recipiente, quàm ſi per cribrum diffunderentur. Quod cum fieri ſentiunt accolæ, continuò grandioribus ejus meatibus, quoad fieri poteſt, obſtructis, agminatim advolant ad piſcationem, quæ ipſis non modò jucunda, ſed etiam perfructuoſa eſt. Nam hi piſces ſale conditi, magna copia ad vicinos exportantur. Porrò ſiccato lacu fit meſſis, qua parte ſolùm conſitum, & idem rurſus conſeritur, antequam inundet. Graminis ita eſt ferax, ut poſt vigeſimam diem ſecari ſoleat. Quis hìc ludentis naturæ miracula non ſuſpiciat? *Ex cent.* 1. *Horarum Succiſivarum Camerarii*.

C

* Lapis.

DEFINITIO ET ETYMOLOGIA.

LApis vocatur à Poetis Os terræ. Ita *Ovid.* juſſum ſcribit Pyrrhæ & Deucaleoni, *l.*1. *Metamorph.*

Oſſaque poſt tergum magnæ jactate parentis.

Eſt autem concretio terræ durioris, quæ effoditur. Saxa enim duriſſima ſunt, & abſcinduntur à rupibus. Lapidem à lædendo, quòd pedem lædat, deducunt. Græci λίθον vocant.

VARII USUS.

Nihil in præſenti de Gemmis earumque viribus dicemus, qui etiam lapidibus accenſentur. Et præter vulgarem lapidum uſum in ædificia, munitiones, & ſimilia; conſtat, olim lapidibus, quos terminos vocabant, agros diſtinctos, eoſque corollis ornare, & venerari ſolebant: teſtis *Apulejus lib.*1. *Flor. Arnob. l.*1. *cont. Gent.*

D

II. Juraturi per Jovem, lapidem ex eo genere, quos Silices dicimus, tenebant dicentes, Si ſecus fallo, tum me Dieſpiter ſalva arce Urbeque bonis ejiciat, uti ego hunc lapidem. Quin Athenienſes ad ſaxum quoddam jusjurandum præſtabant.

III. Lapidibus milliaria diſtinguebantur, undè & lapis pro milliari, accipitur communi phraſi. Et *Boetius* vocat lapides curioſos per quos loca certa diſcriminabantur.

IV. Romæ è lapide præcones ſua evulgabant, & ex eodem mancipia venalia proclamabantur. Undè viles homines, de lapide emptos, Cicero appellat. *Turnebus l.*10. *cap.*3.

V. Erat Jeroſolymæ lapis qui dicebatur lapis errantium, ad quem ſe conferebant, qui aliquid perdiderant, vel invenerant. Et hi quidem inventa proclamabant, alii eadem recipiebant. *Schinal. in lexico*.

VI. Athenis duo lapides argento obducti erant, in quibus rei atque accuſatores omnes inſiſtebant. Unum vocabant lapidem contumeliæ, alterum impudentiæ. *Pauſan. in Attic.*

VII. Erat ſupplicium lapidum uſitatum Judæis contra E inceſtuoſos, blaſphemos, Sabbathum violantes, maledicos, *&c.*

☞ *Vide Supplicium & Mors. Tit. Mortis Inſtrumenta.*

LOCA.

LAPIDUM, MARMORUM; UBI MARMORA, LAPIDES.

*Marmora ubi naſcantur, copioſè deſcribit Plin. lib.*36.

In Laconia, qua ad mare propè Hythion deſcenditur, vicus eſt, cui Croceæ nomen: in ea lapidicinæ perpetuo ac nuſquam interrupto ſaxo. Cæduntur inde lapides, fluvialibus haud abſimiles, qui cœno ſanè nonnihil repugnant; elaborati tamen & expoliti, ſuam habent in Deorum cellis exornandis gratiam. Multùm iidem & piſcinis, & aquarum ductibus afferunt decoris. *Pauſ. in Lac.* F

Aulis Græciæ regio, marmore Caryſtio nobilis, uti Paros inſula, una è Cycladibus, Pario. *Plin. lib.*4. *cap.*12. Marmoratii veteres tantùm candido marmore uſi ſunt è Paro inſula, quem lapidem cœpere lychnitem appellare, quoniam ad lucernas in cuniculis cæderetur, ut auctor eſt Varro, multis poſteà candidioribus repertis, etiam in Lunenſium lapidicinis. Sed id Pariorum mirabile proditur, gleba lapidis unius cuneis dividentium ſoluta imaginem Sileni intus extitiſſe. *Plinius lib.*3. *cap.*5.

E montibus Atticæ nobilibus Hymettus, effuſione marmorum pulcherrimorum, & melle optimo. *Strabo lib.*9.

Sub Tethrio Chalcidis monte Caryſtus conſiſtit, cui vicina ſunt Styra & Marmarium. In quo Caryſtiarum columnarum exciſio eſt, ibi Appollinis Marmarini templum eſt. Ad Caryſtum lapis naſcitur, quem pectunt, nent, texunt. Inde mantilia conficiuntur egregiè contexta: ea ubi ſordeſcunt, in flammam projecta non ſecus emundantur, quàm ſi maculas elueris. *Strabo lib.*10.

Docimia vicus Phrygiæ, in quo Sinadicus lapis effodiebatur (ſic enim Romani appellabant) indigenæ Docimitem, G & Docimeum. Vena à principio parvas glebas emittebat, poſteà propter maximos Romanorum ſumptus columnæ integræ & ingentes extrahebantur, varietate Alabaſtro perſimiles. *Ex Strab. l.*12. *Æn. Syl. c.*61. *Aſia*.

Inter plurima alia Italiæ miracula, ipſa marmora in lapidicinis creſcere, auctor eſt Papyrius Fabianus, naturæ rerum peritiſſimus: exemptores quoque affirmant, compleri ſpontè illa montium ulcera. Quæ ſi vera ſunt, ſpes eſt, nunquam defuturam luxuriam. *Plin. lib.*36. *cap.*15.

Apud ſolos Megarenſes in tota Græcia Conchites lapis effoditur, inſigni candore & mollitie, marinis conchis undique refertus. Ex quo exſtructum fuit monumentum Cari, filio Phoronei, via quæ Megaris Corinthum ducit. *Pauſan. in Atticis*.

LAPIDUM PRECIOSIORUM, GEMMARUM.

GEMMIFERA LOCA.

☞ *Conſule Locum de Gemmis.* H

---

* Lares.

QUI SINT.

PLatonicorum ſententiam quidam *Madaurenſis lib. de Deo Socratis*, docet hanc eſſe, ut credant, Animas defunctorum, dum ſunt in corpore, Genios & Dæmones nuncupari: dum à corpore ſeparantur, dummodò boni fuerint, poſterorum ſuorum curam ſortiri, domum pacificè poſſidere, & Lares familiares appellari. Si verò ſceletati fuerint, vagari incertis ſedibus, & homines terrere, larvaſque nuncupari. Imò & Lemures, ſecundum S. Auguſtin. *lib.* 8. *de Civitate*. Vide de his Delrium. *Lib.*2. *quæſt.* 26. *Sect.* 2. *diſquiſ. magic.*

A

Larvæ. Larvati.

☞ *Quære* PERSONATI.

Laterna.

DEFINITIO ET ETYMOLOGIA.

LAterna, receptaculum eſt è laminis pellucidis, in quo cuſtoditur lucerna. *Perotus*, Laterna dicitur, quòd in ea lumen lateat. Dicitur à *Plauto*, Cornu, quòd corneis lamellis circumcludatur, ut ventorum flabra arceat. ἰπνὸς ἔσχαρος, Æliano. *Martialis lib.4.*

Dux laterna viæ, clauſis feror aurea flammis,
Et tuta gremio parva lucerna meo.

USUS.

Laternis æquè ac facibus uſi veteres, ad tenebras noctis de-

B pellendas. Unde meminit Scriptura, quòd ad Chriſtum in horto apprehendendum venerint cum laternis, *&c.* quia jam ſerus veſper erat: Et putatur Malchus laternam geſtaſſe. Eſt etiam uſus earum in viis publicis, ut de nocte tranſeuntes videant. Ita & in Principum palatiis, ad prima atria laternæ collocantur, ne impingant intrantes.

Olim in januis die nuptiarum, & in ſolemnitatibus, lauri & laternæ ſive lucernæ, quia plerumque pro iiſdem uſurpantur, ponebantur. Unde *Tertullianus* meminit januæ laureatæ & lucernatæ, vocatque habitum lupanaris, imò Idololatriam. *In Apologetico. Item lib.2. ad uxorem, & lib. de Idololat.* Etiam *Iuvenalis* teſtis eſt hujus ſuperſtitionis *Satyra* 12.

Cuncta nitent, longos erexit janua ramos,
Et matutinis operatur feſta lucernis:

Id eſt, tegitur, ſecundum *Lipſium.* Etiam *Seneca* eum morem januas lauro lucerniſque ornandi perſtringit, *Epiſt.* 68. Porrò lucernæ hujuſmodi penſiles erant, & catenis ſuſpendebantur ad ſingulas feneſtras aut januas. Unde *Perſius*:

—— Unctaque feneſtra
Diſpoſitæ pinguem nebulam vomuere lucernæ.

C Etiam lucernæ ad ædes lenoninas ſuſpenſæ, ceu nota lupanaris. *Teſte Lipſio lib.1. cap.3. Elector.*

Modò etiam laternæ præferuntur Sacro Euchariſtiæ viatico, dum ad infirmos defertur, ob reverentiam, & in teſtimonium Sanctitatis.

* Latium. Latini.

QUÆNAM REGIO, ET UNDE ITA DICTA?

LAtium, Italiæ Regio, quam Campaniam dicunt, eſtque territorium Romanæ Urbis. Dictum Latium à Rege Latino, qui ibi rerum potiebatur. Alii Latium dictum volunt, quòd Saturnus ibi latueret. Hinc *Virg.*8. *Æneid.*

Primus ab æthereo venit Saturnus Olympo
Arma Iovis fugiens, & regnis exul ademptis:
Is genus indocile, ac diſperſum montibus altis
Compoſuit, legeſque dedit, Latiumque vocari
Maluit, his quoniam latuiſſet tutus in oris.

D Totam autem Italiam inde Latium dictam ſcribunt, quòd inter præcipitia Alpium & Apennini lateat. Ita *Varro*. A latitudine deducit *Ortel. Onomaſtico.*

Eſt autem duplex Latium, Vetus & Novum. Vetus à Tyberi, Cycæos (Fundos, ait Servius) uſque protendi: Novum hinc ad Lirim fluvium, Strabo & Plinius auctores. Sunt qui contendunt, Saturni nomen Syriacum eſſe, & latentem ſignificare. Latinienſes ſive Latini dicti à Latio: vina eorum Plinius celebrat, eorumque cibum dicit fuiſſe far. Pulte enim Romanos aliquamdiu vixiſſe, ex hiſtoriis conſtat. Hujus Regulum arguit, quòd in eo LIII. populos abſque veſtigio interiiſſe ferant. Metropolis olim erat Alba longa, poſteà Roma, quæ & caput orbis effecta.

ORIGO LATINORUM.

Latini à Latino dicti videntur, qui Aboriginum Rex fuit, & Æneæ Trojano adverſus Rutulos auxilio fuit. Unde *Virg. lib.*1. *Æneid.*

Multa quoque & bello paſſus, dum conderet Urbem,
Inferretque Deos Latio, genus unde Latinum.

Porrò Aborigines illi incolebant Italiam, atque hos Phrygibus junctos, adveniente Ænea, Latinos uno nomine nuncupatos, *Servius* ſcribit *in l.* 1. *Æneid.* Igitur Latini non tantùm E à Trojanis, ſed primitùs ab Aboriginibus deſcendunt. Sunt plerique qui etiam Latinos appellatos volunt ante adventum Æneæ. Favet *Virg.* qui *lib.*7.

Ne fugite hoſpitium, neve ignorate Latinos.

Et rurſum:

Nunc Tyberim fluvium, & fortes habitare Latinos, &c.

Eutropius dicit, Latinum Regem linguam Latinam correxiſſe, & ſuo nomine gentem appellaſſe.

* LATINA LINGUA, SIVE IDIOMA LATINUM.

EJUS USUS. VARIETAS.

Latina lingua toti Latio communis erat. Imò cum Imperio Romano longè latèque ſe diffudit per Aſiam & Africam, jam Trajani temporibus. Sic ut paſſim uſurparetur. Getæ nihilominus & Sauromatæ, Ovidio apud illos relegato, ignari illius erant. Unde conqueritur in Triſtibus:

Et rident ſtolidi verba Latina Getæ. F

Gregorius Thaumaturgus in laudatione Origenis, loquens de legibus, fatetur eas ſapienter Latinè ſcriptas. Superba, inquit, & terribili illa lingua, & imperium qnod obtinet præ ſe ferente. Loquitur autem de legibus XII. Tabularum.

Iſidorus quatuor agnoſcit ſpecies linguæ Latinæ, *lib.9. c.*1. Priſcam, Latinam, Romanam, Mixtam. Priſca eſt, qua uſi tempore Saturni, & Jani; ut ſunt carmina Saliorum. Latina, quæ ſub Latino uſurpata, & Thuſciæ Regibus, fueruntque ea ſcriptæ leges XII. Tabularum. Romana, quæ apud Reges ſolemnis erat, eaque fuit puriſſima, ut quam Virgilius, Plautus, Horatius, Cicero locuti fuerunt. Mixta eſt, quæ unà cum moribus corrupta, multùm à priſtino nitore diſceſſit, ſolœciſmis & barbarie ſcatens.

CORRUPTIO ET RESTITUTIO.

Corrupta fuit Latina lingua, ſic ut tempore Pauli Diaconi mutatus legatur in Italia ſermo. Carolo magno inſcripſit ſuas mutilationes Feſtus. Gothi ſanè Italiam devaſtantes circa annum 400. linguæ decus abſtulerunt. Repararunt aliquouſque viri plerique doctiores, & ſuis ſcriptis aſſeruerunt, ſed numero pauci erant. Conſtat, tempore Eraſmi Roterodami multum G barbariei Latinæ linguæ admixtum fuiſſe, atque illi pro parte illius cultum & vitam reducem deberi, & utinam intra limites politioris litteraturæ ſe continuiſſet! Poſt hunc excitata Gymnaſia celebriora, quæ ſenſim priſtinæ Latinitatis nitorem juventuti inſtillarunt, eaque modò abſque numero, ſic ut antiquum Latium apud Germanos potiſſimùm, Belgas, & Polonos redire videatur: ita omnes paſſim & Latinitati, & ſermonis puritati incumbunt. Haud ita Hiſpani vel Itali.

☞ *Pete nonnulla ex loco de Lingua. Tit. Linguarum ſtudium. §. Latina.*

* Latrina.

DEFINITIO ET ETYMOLOGIA.

LAtrina vox eſt contracta à Lavatrina. Vocat autem *Onomaſt.* Lavatrinas ἀπόλυτρα, Græcis loca, in quæ loturæ projiciebantur, quæ & aquaria. Verùm hodie Latrinam dicimus in quam excrementa humana ejiciuntur, & venter exoneratur. H Sunt qui Latrinam vocant congeriem omnium ſordium, quæ ex domo in unum conferuntur locum. ἀφεδρῶν, ἀπόπατος Græcis. θυμαζῶν apud *Herodotum*, reperitur *lib.*4. quod expeditionem ſignificat. Exonerata enim alvo, fit homo expeditior & promptior. Alioquin ἀπόπατος receſſus eſt, ſive ſeceſſus. Solemus enim huic purgationi vacantes ſecedere.

Romæ olim Latrinæ erant loca publica, tenuis fortunæ hominibus ædificata, in quibus de die excernerent, pendentibus etiam ſpongiis abſtergendo ano. *Seneca lib.* 10. *Epiſt.* Potentioribus vaſa ad id aptata erant, quæ ſervi præſtabant, & excrementa in cloacas deferebant, quæ inde in Tyberim ſe exonerarent.

Perotus tamen contendit, Latrinas eſſe loca privatorum. Publica verò loca, in quibus ventrem omnibus purgare licitum, Foricas appellat. *Hadrianus Iovius*. Ait etiam *Varr.* Latrinas eſſe privati uſus, ἀμάρεια Polluci, ob commoditatem pellendæ corporis ſaburræ. Germani verò latentem commoditatem dicunt, à latente illius uſu; unde & à latendo Latrinam deducunt.

Uſus

A

USUS VARIUS.

Uſum illius varium quidam hac inſcriptione expreſſit, ubi eam ita loquentem inducit:

Hei mihi, quàm neglecta habeor, contemptaque vulgo,
Semper in obſcura parte locata domus!
Sum tamen ipſa bonum paſſim quod habere neceſſum eſt,
Quo nihil utilius, commodiuſque nihil.
Nam me nulla carere poteſt domus: Indiget omnis
Uſque adeò obſequio fœmina virque meo.
Hinc pueri, invalidique ſenes, poſitoque timore,
Et naturali virgo pudore ruit:
Imò Duces, Reges, ſummus cum Cæſare Papa,
Me colit: huc illos imperioſa voco.
Adveniunt omnes properè, curruntque vocati,
Quos dolor ah! ani parturientis agit.
Legatum huc, calculamve ſuo non mittere poſſunt
Nomine, non aliis impoſuiſſe vices:
Accurrunt non cum pompa, magnaque ſuorum
B *Turba, ſed nullo concomitante, citò.*
Curvatique humileſque adeunt mea Regna, levari
Gaudentes ventris pondere quiſque ſui.
Me quærunt tanto qui faſce maloque laborant,
Sola ego nam tanti ſum medicina mali.
Omnes admitto placidè, excipioque benignè
Hoſpitio, & miſerans ſublevo faſce nates.
Nec noctu, nec luce mei claudo oſtia regni,
Optatum nulli denego ſubſidium.
Ipſa ego ſum Latium, ſedes ubi fata quietas
Oſtentant, gravidis & latuiſſe datur.
Hinc ex re Latrina vocor, quod ſuaviter omnes
Deliteant noſtro fœmina virque ſinu.
Certe ego perfugium cum ſim, certumque levamen,
Et Latium, Requies, & medicina vocor.
Tantaque cùm præſtem cunctis ſolatia, poſthac
Sum meritò prima fronte locanda domus.

IN LATRINA MORTUI. SUFFOCATI. MANENTES.

C Narrat *Seneca* ſuprà, quomodo Romæ in loco beſtiariorum Germanus quidam, cùm ad matutina ſpectacula pararetur, ſeceſſerit ad exonerandum corpus, cùm nullum aliud ei daretur ſine cuſtode ſecretum. Atque lignum quod ibidem adhærente ſpongia ad purganda obſcœna poſitum erat, totum in gulam immiſiſſe, & faucibus præcluſis ſpiritum emiſiſſe.

De Judæo Anglo, qui quòd pridie Sabbathi in latrinam cecidiſſet, ipſo ſabbatho extrahi noluerit ob diei religionem, & poſtero etiam Catholicorum ſabbatho ibidem remanere coactus fuerit, alia occaſione *in loco de Iudæis* diximus.

GOTHIFREDUS Lotharingiæ Ducis Fil. IX. Comes Hollandiæ, conditor oppidi Delphtenſis, poſt tyrannidem annis 4. exercitam, ſuis inviſus, dum fortè Antverpiæ purgaturus ventrem, latrinæ quæ foſſæ urbanæ imminebat, quod in ea civitate eſt familiare, inſidet, à quodam inopinato veruto ſuffoſſus per annum fuit. *Chronica Flandriæ in Gothifredo.*

Arius cum Eccleſiam intrare præſumeret, ſubitò commota alvo, cùm domum ſe recipere non poſſet, ad publicas latrinas accurrit valdè anxius, moras neceſſitate non permittente. Qui-

D bus cùm inſediſſet, ecce cum excrementis inteſtina omnia, & blaſphemam animam effudit. Teſtatur *Athanaſius orat.*1. *cont. Arianos, Ruffin.* 50. *hiſt. c.*13.

Latro.

DEFINITIO ET ETYMOLOGIA.

LAtro, Græcè λῃστὴς, & λῃστεύομαι latrocinor. Propriè ſignificat latellitem, ſive corporis regii cuſtodem: à latere dicitur, quòd lateri comes ſit, & cuſtos. Stipatorem vocant alii, & qui mercede conducitur, quæ merces dicebatur λάτρον καὶ σάτρον: veteres Poetæ latrones appellabant milites. Unde *Enn.*

Hæc effatus ubi, latrones dicta facеſſunt.

Latrones laterones dictos *Varro* autumat, ut paulò ante dicebam, qui circum latera Principum erant, eoſque tuebantur. *Plautus in Pyrgopolinice* oſtendit, quid ſint latrones, dicens: Rex me Seleucus oravit, ut ſibi latrones cogerem & conſcriberem. *Iſidorus* verò *l.*10. Latro, inquit, eſt inſeſſor viarum, à latendo dictus, quòd latèter inſidietur vitæ & viæ: hinc illud Poetæ,

Ut jugulent homines, ſurgunt de nocte latrones. E

Atque illud *Iuvenalis Satyra* 10.

Pauca licèt portes argenti vaſcula puri,
Nocte iter ingreſſus gladium contumque timebis,
Et motæ ad lunam trepidabis arundinis umbram.
Cantabit vacuus coram latrone viator.

LATRONES. SICARII.

UNIVERSIM. QUI PRÆDANTUR MARI.

Corycus mons excelſus Ciliciæ & Pamphyliæ. Dicunt totam Coryci præternavigationem latronibus plenam, qui Corycæi dicuntur. Hi novum inſidiandi genus adinvenerunt. Diſperſi enim per portus accedunt ad mercatores qui applicuerint, auſcultantes, quid rerum ferant, & quò navigent. Poſteà cùm illi ſolverint, & in altum ſe receperint, congregati eos adoriuntur ac diripiunt. Ex quo omnes cuniculos, & occulta ac ſecreta auſcultare conantes, Corycæos appellamus, & in proverbio dicimus, Hunc Coryceus auſcultavit, cum quis aliquid dicere vel facere ſecretò videri velit, quòd mini- F mè videri velit, propter eos qui ſpeculantur, & ſcire ſtudent, quæ non convenit. *Str. l.*14.

Cilices haud multò poſt, quàm cum Mithridate Romanus populus terra marique bellare cœpit, ſuis egreſſi finibus, obſcuro parvoque initio, rem maritimam latrocinio infeſtare adorti, paulatim prædæ dulcedine allecti, adjutique Mithridatis opibus, latè maria ſuis opibus infeſta reddidere, idoneam graſſandi occaſionem pacti, quòd ea potiſſimùm tempeſtate res Romana civilibus eſſet bellis inter Marium & Syllam implicita, atque ita concuſſa, ut ne domeſticis quidem malis, non modò externis, ſatis mederi poſſet. Abjecta itaque pelagi cura, quum nulla uſquam præſidia eſſent, nullæ claſſes, quibus tali injuriæ iretur obviam, Cilices haud tantùm nautas, ſed maritimas urbes inſulaſque prædari: quorum opes, quia aſſiduis ſucceſſibus creſcerent, multos quæſtuoſo latrocinii commercio allectos, in ſocietatem traxerunt; pluribus itaque locis eorum ſtationes eſſe navalia maritimaque præſidia. Poſtremò eò res proceſſit, ut aſſiduo quæſtu eorum quidam auratis navium rudentibus uterentur, purpureis velis, remoſque argento æris loco præmunirent. Naves jam mille & ampliùs piraticæ circumquaque G litora inſederant: quadringentæ ab his urbes teneri, aſyla religioſaque deorum templa paſſim violari, & in his Clarum, Didymeum, Samothracium, Telluris phanum in Hermone, in Epidauro Æſculapii, in Iſthmo & Tænaro & Calabria & Trœzenis Neptuni, in Actio & Leucade Apollinis, in Samo Argis, & Lucania Junonis. Duo Romani prætores ab his capti Sextilius & Belinus, qui cum lictorum faſcibus, & cæteris magiſtratus inſignibus, in eorum poteſtatem venere. C. Julius Cæſar, qui poſteà dictator fuit, juvenis admodùm, qui privatus adhuc eſſet, & in Rhodium navigaret, ab iiſdem circa Pharmacuſam captus, etſi, ut magno fuit & elato animo, ſuam brevi ultus eſt injuriam. Publ. Clodius qui Ciceronem in exilium egit, in id quoque diſcrimen incidit, magnaque ſe pecunia redemit. Venere & fœminæ quædam nobiles in eorum poteſtatem, & in his Antonii triumphalis viri filia, quum fortè in agrum iret. Adjectum præſenti injuriæ ludibrium, ut quum captivorum aliquis ſe Comanum eſſe fateretur, velut ſubito pavore perculſi, manus & femur percuterent, inde magis illum toga indutum, è navi velut in terram dimiſſuri in ſubjectum mare præcipitabant. Tam fœdum latrocinium quic- H quid pelagi à Gadibus in Syriam excurrit, & Helleſpontum longè latèque occupaverat. Debellati ſunt tandem à Cn. Pompejo Magno. *Sab. l.*4. *Enn.*6.

Ut Cilices piratæ fierent, cauſa fuit Diodorus Tryphon, qui ab Antiocho Demetrii filio Syriam fecit deficere, ex regum ignavia, qui tunc Ciliciæ ac Syriæ ex ſucceſſione imperabant. Sed maximè mancipiorum exportandorum licentia ad maleficium exhortabatur, quæ & facilè capiebantur: ac Delus, quæ non admodùm procul aberat, emporium magnum & pecunioſum exhibebat. Ea enim multa mancipiorum millia & recipere & emittere eadem die poterat. Ex quo proverbium: ἔμπορε κατάπλευσον, ἐξελοῦ, πάντα πέπραται, Mercator naviga, & expone; jam omnia venundata ſunt. Cauſa erat, quia Romani poſt Carthaginis & Corinthi everſionem divites effecti, multis ſervis utebantur. Quapropter piratæ & prædandi & vendendi oportunitate oblata, mirum in modum coaluerunt. Hunc permulti Cypri & Ægypti reges adjuvabant, Syris ſcilicet inimici. Sed cùm nec illis Rhodii benevoli eſſent, nihil auxilii afferebant. Adhæc cùm piratæ continuè alia corpora

cape-

caperent, maleficium perpetuum faciebant. Dèmum Romani illos opibus auctos, per Servilium Iſauricum primò, deindè per Pompejum Magnum, & bello & exercitu delevere: quos ne augerentur, non prohibuerunt. *Str. l.4.*

Cretenſes olim optimis legibus utebantur, ita ut ad illarum imitationem reliqui ſeſe Græci accommodarent. Poſtmodùm verò ad latrocinia ſe convertere, & mare internum piratica infeſtum reddidere; demùm Cilicibus loco ceſſere. Utroſque tandem Romani ſuperavere. *Strab. lib.10.*

Cyrnus inſula quæpiam eſt è regione Apuliæ, cujus incolæ longævi perhibentur eſſe propter mel, quo plerunque veſcuntur; vicini Sardonicæ inſulæ. Nam ejus illic ſumma copia, quemadmodum auctor eſt Stephanus. Hæc olim navigantibus erat inacceſſa, propter prædonum ac piratarum circa illam frequentiam. Atque hinc vulgò proverbium increbuit, *κυρνία γῆ*, Cyrnia tellus, regio latrociniis infeſta. *Plinius lib.4. c.2.* nominat Cyrnum, ſed diverſam à Corſica, quum *Strabo lib.5.* tradat, Cyrnum eſſe, quam Romani dicunt Corſicam, inſulam ægrè habitatam, ob locorum aſperitatem, & regionem multis locis imperviam; ſed præcipuè quòd qui montes obtinent, ac latrociniis vivunt, feris ipſis ſint efferaciores. E quibus ſi quando aliquot capti per duces Romanos Romam deducantur, dictu mirum, quàm ferinum quiddam ac belluinum præ ſe ferant. Nam aut ſibi mortem conſciſcunt, aut ſi vivunt, ſtoliditate & amentia ſic fatigant dominos, ut quantulocunque emptos, tamen emiſſe pœniteat. *Eraſm. in Adag.*

Hiſpanorum gentes circiter triginta tractum inter Artabros & Tagum inhabitarunt, cum fertiliſſima ſit regio, & fructuum, & pecoris, & auri, & argenti, multorumque ſimilium. Ex his complures, omiſſis agrorum cultibus, in marinis latrociniis vitam agitantes, vel aſſiduis inter ſe bellis diſceptabant, vel trajecto Tago finitimos armis inſectabantur, donec Romani eos repreſſerunt, & plurimis eorum redactis in vicos urbibus, pleraſque manſuetiùs ipſi incoluerunt. Hujus impietatis initium à montanis (uti par eſt) ortum fuit. Sterilem namque colentes agrum, & paucorum prædiorum poſſeſſiones tenentes, alienorum aviditate trahebantur. Qui verò illos propulſare conabantur, operum ſuorum dominio privati, ea in neceſſitate conſtituebantur, ut pro agricolatione bellis implicarentur; venit igitur, ut neglectus ager, innatis privatus bonis, à latronibus habitaretur. *Strabo lib.3.*

Normanni Danis finitimi erant, Oceanique accolæ. Carolus Magnus reliquarum nationum ſeptentrionalium domitor eos prælio devicit, levi clade affectos: nec religionem, nec jura, nec Magiſtratus à Francis accipere coegit. Mortuo Magno, ad piraticam faciendam redierunt, tantùm oræ maritimæ infeſti, ac ad primum Francorum occurſum refugiebant. Carolo Calvo rege feſſa malis civilibus Francia, interiora petere auſi ægrè ſuſtineri poterant. Lutetiam uſque à mari progreſſi, ingentem prædam avertere. Regreſſi domum, prædaque expoſita, multò plures ſpe Franciarum divitiarum adducti, anno ejus ſeculi quinquageſimotertio, majore claſſe longiùs, quàm priores, evecti, Ligeris oſtia cùm ſubiviſſent, Francis religioni deditis, Sabbatho ſancto Nannetes invadunt, Epiſcopumque civitatis rem divinam facientem occiderunt, frequentem ad ſacra populum trucidarunt. Ea urbe direpta evaſtataque Andegavum, atque inde Turones, utramque urbem fuga civium deſertam, ſine certamine ingreſſi, diripuerunt. *Æmil.*

In provinciis Aquilonis frequens fratrum regum ea fuit hæreditatis partitio, ut alius terra, alius mari dominaretur. Piraticam enim juſtam putabant militiam: eaque locupletati, inter ſuos erant honoratiores. Quumque deeſſent, qui maria tranſeuntes ſpoliarentur, in proxima verſi littora, prædas agebant. Itaque diù per multa ſecula cum finitimis luctabantur. Vandali fuere, qui tenebant littus Germanicum à Cherſoneſo Cimbrica uſque in Pruſſiam: quibus aſſidua bella ab incurſantibus Danis. Illi viciſſim audebant inferre quæ paterentur. Orientem verſus Sembos, Eſſones, Ruſſos habuere, quotidianam belli materiam ac virtutis palæſtram. Sæpè in Occidentem verſi, Angliam vaſtabant, præcipuè ea parte quæ reſpicit Aquilonem in regione Northumbrorum. Neque Saxonia, neque Friſia immunes fuere. Sed creſcente paulatim audacia, auſi ſunt in Gallias arma transferre, communi nomine Normanni dicti, eo tempore quo Lotharius Ludovici Pii filius, Caroli Magni nepos, cum fratribus de regni finibus certabat, & maritima Franciæ injuriis piratarum patebant. Ex illo tempore, quum Danica claſſis Galliæ guſtavit dulcedinem, facilè Saxoniæ prædas omiſit: quòd ibi duriora exciperet verbera, & minores inde prædas abduceret. *Crantz. lib.2. Nor. cap.1.*

Apud Danos olim piratica in honore fuit, non minùs quàm apud Lacedæmones furtum, arbitrantibus in paganiſmo Barbaris, juſtè poſſideri, quicquid vi aut armis quæreretur. Vandali proindè, Germanici maris accolæ, eodem quæſtu provocati navigabant. Ita factum, ut crebrò Vandali cum Danis manus conſeruerint. *Crantz. l.1. Vand. c.7. ex Sax. Grammatico.*

Sub Svenone tertio Danorum rege, varia fortuná contra Canutum regni æmulum decertante, propter incurſus, qui à maritimis crebrò prædonibus fiebant, apud Roskildiam Vethemanno auctore piratica cœpit: cujus hæc diſciplina, hi mores fuere. Navigia piratæ magis idonea ſibi viſa abſque poſſeſſoris permiſſu aſſumendi poteſtatem habebant, octava acquiſitorum parte naulum daturi. Navigationem orſuri, apud ſacerdotes præteritæ vitæ piacula deplorabant, eorumque religioſa animadverſione luſtrati, perinde ac ſtatim deceſſuri, divina altaris libamenta ſumebant: cuncta proſperiùs ceſſura rati, ſi ritè Deum ante bella placaſſent. Parvo viatico ſumpto, onera & impedimenta vitabant, armatura, ac cibo ſimpliciter contenti, nihilque quod navigationem moraretur, amplexi. Multæ illis vigiliæ, multaque parſimonia erat. Remorum manubriis conſidendo innixi, ſomnum carpebant. Quoties prope litora illis navigatio erat, eadem antè ſpeculatoribus perluſtranda mandabant, ne quid incompertum fortè vel improviſum occurreret. Inſulas, ad quas vento agerentur, petebant, miſſis qui loca procellis averſa percurrerent, quòd peregrina claſſis tranquillis ſoleat portubus delectari. Crebrum eis cum hoſte certamen, ſed ubique facilis, ac penè incruenta victoria fuit. Prædam ex æquo partiebantur, nec major gubernatoris portio, quàm privati remigis erat. Chriſtianos, quos expugnata claſſe captivos repererant, amictu donatos ad propria dimittebant: tanta eis in conterraneos humanitas erat. Octogenas & binas piraticas puppes variè & viciſſim cepere, nunquam ipſi claſſem viginti duabus frequentiorem habentes. Stipendiis defecti, impenſas à civibus mutuabant, præmii loco prædæ dimidium recepturis. Hic piraticæ cultus, Roskildiæ cœptus, ab urbis gremio etiam ad agreſtes manavit, ab omni fermè Sialandiæ parte ſubſidia mutuatus. Et quidem anguſtus primùm ac tenuis, magna brevi incrementa contraxit. Sed neque ante redditam terris pacem ulla ex parte remiſſior fuit. *Saxo lib.14.*

Aſcomanni olim dicebantur piratæ Dani, Saxonicum litus infeſtantes. *Crantz. lib.6. Metropol. cap.24.*

Sclavi, licèt Chriſtianæ religioni colla ſua ſubmiſiſſent, tamen à latrociniis, quod vitium à majoribus hæreditario quaſi jure trahebant, cohiberi non potuerunt. *Helmodus cap.84.*

Antiates olim cum Etruſcis latrocinandi ſocietatem inibant. Alexander itaque Macedo, & Demetrius poſteà, miſſis qui prædones in poteſtatem redigerent, eos Romanis reddidit: Gratis quidem, inquiens, eis ſe donare corpora, propter antiquam cum Græcis neceſſitudinem; indignum autem eſſe, ipſos qui regnum Italiæ ambirent, latrocinia exercere: cumque in foro Caſtoris & Pollucis templum ædificatum venerarentur, quos univerſi Conſervatores appellant, prædones interim Græciæ immittere. Romani deindè illos ab ejus generis exercitatione repreſſerunt. *Strabo lib.5.*

ALEXIUS ANGELUS Byzantinus Impèrator Conſtantinum quendam Francopolum cum ſex triremibus in Pontum Euxinum miſit, per ſpeciem de mercibus navis cujuſdam, quæ ex Phaſide Byzantium navigans, juxta Ceraſuntem fracta eſſet, inquirendi, reverà autem, ut oneraria navigia ſpoliaret. Is ut juſſa Imperatoris exequeretur, nulli navi pepercit. Rucreatinus Iconienſis Sultanus ſuorum damnis offenſus, bello injuriam perſecutus eſt. *Nicætus lib.3.*

Sub Bonifacio Octavo Pontifice, Apuliæ pace inter Gallos & Tarraconenſes compoſita, aliquot Emporitanæ aliarumque promiſcuè gentium naves bello vivere aſſuetæ, Rogerium Templarium ſibi præficiunt. Ex Apulia in adverſam oram tranſmiſere, Salonaſque expugnarunt, ac diripuere. Mare infeſtum, litoraque faciebant: undique prædas agebant. Piraticum bellum erat, ac ne illud quidem (quod facere nobiles latrones ſolent) duci ſuo paruere. Rogerium occiderunt, nec eum tantùm, ſed cùm nec juſtum, nec injuſtum pati poſſent imperium, alios atque alios creabant, occidebantque duces. Et quod mirum ſit, ſublata imperandi parendique diſciplina, duodecim tamen annis hoc bellum tenuit, cùm viginti omninò triremes, & aliquot minora navigia ipſi haberent; ſed conſociantibus ſe illis etiam exulibus Græcis. In terram Atticam igitur delati, Athenarum ducem Brennæ nobilitatis virum occiderunt, urbemque ceperunt: & in Peloponneſum retrò acti, eam occuparunt, occiſiſque Francis proceribus, qui ea magna ex parte potiebantur, illorum domos, uxores, opeſque ſibi vendicarunt: locumque ſibi cum domicilio delegere, in mores finitimorum paulatim abituri, prædonem tandem depoſituri. *Æmil. l.8.*

TERRA.

Tauroſcythas furandi licentia victum ſibi quærere, Herodotus ſcribit.

Arabes æqua ex parte latrocinantur, aut mercaturam exercent. *Plinius lib.6. c.28.*

Latrones Arabes ab Herode expugnati, & inter eos ſenex quidam admirabilis audaciæ. ☞ *Vide Titulum, Loca munita expugnare.*

Numidæ, uno nomine dicti Arabes, cum Afris bella gerunt, venalemque pacem habent. His mos eſt belli cauſas excitare, alere controverſias, ſemper armis exerceri, pecuariæ, colendique agri miniſteria per ſervos obire, præſertim Æthiopes, quum ſe omnium gentium nobiliſſimos jactent, quòd impermixti ſanguinis ab antiqua Pœnorum origine progeniem ducant. Diviſi in multa agmina, à Nilo amne introrſus ad Athlanticum Oceanum extenduntur, & cùm incertas ſedes habeant, certis tamen pagorum finibus imperia præſcribunt. Hyeme longiùs à mari ad Æthiopum fines recedere ſolent, temperie ſoli & clementia aeris invitati: æſtate verò ad vix dum maturas ſegetes revertuntur, ut alieni laboris fructum intercipiant. *Iov. l.1. & 13. Hiſt.*

Garamantes in Libya locorum natura freti, latrocinio victitant, in nautas, vi tempeſtatis in brevia Syrtium delatos, vadatim graſſantes. *Sab. l.6. c.1.*

Læſtrygonas & Cyclopas Ætnæ, & Leotinis vicina incolentes, immanes & efferos quoſdam homines fuiſſe memorant, & maleficos, & latrones. *Nat. Comes Mythol. l.9. cap.8.*

Neptacometæ in Ponto ſuper arboribus ac turribus habitant. Hi ex ferina carne & arborum fructibus vivunt, atque ex lignis deſilientes, peregrinos adoriuntur, iter agentes, *Strab. lib.14.*

Appianus lib.2. de Bellis civil. de Dyrrachio diſputans, mentionem etiam facit Liburnorum, qui poſt Taulantios ea loca occupavere, piraticamque exercuiſſe dicit, uſos velocibus navibus, & Romanos Liburnidas ab illis appellatos, celeres in primis naves putaſſe, cùm primùm illas cognoviſſent. *Vict. l.10. Var. lect. c.9.*

PROBUS Imperator, quum multa Barbarorum loca purgaſſet latrociniis, ubi perveniſſet ad Iſauros, dixit, ab illis locis faciliùs arceri latrocinia, quàm tolli. Sentiens, eſſe dandam operam, ne latronibus illuc eſſet aditus, neve juvenes latrocinari diſcerent. Itaque loca omnia quæ anguſtum haberent aditum, veteranis conceſſit: addens, ut eorum filii ab anno decimooctavo ad militiam mitterentur, ne antè latrocinari diſcerent, quàm militare. *Vopiſcus.* Strabo, Iſauris gentilitium eſſe latrocinia exercere, ſcribit. Confirmant idem Marcellinus & Sozomenus.

M. POPILIO LENA, & C. MANLIO Imperioſo conſulibus, centeſima & ſexta Olympiade, in Italia circa Lucaniam colluvio quædam hominum, omnium fermè fugitivorum, è locis variis in unum confluit, paſſimque primò latrocinabatur, dein & excubias agendo, & incurſionibus crebris, aliiſque exercitationibus cœpit aſſuefacere ſe ad militares ordines ſervandos. Itaque juſta acie cum locorum eorum cultoribus congreſſi, ſemper victores evadebant: auctiſque viribus, ad urbium oppugnationem converſi, Terinam oppidum captum diripuerunt. Poſteà in ditionem ſuam redactis Arponio, Thuriis, & aliis aliquot urbibus, ſibi ſuam rempublicam inſtituerunt: vocatique ſunt indigena appellatione Brutii, quòd eorum plerique ſervi eſſent: Vernaculo enim ſermone fugitivi appellabantur Brutii. Hujuſmodi originem habuit is Italiæ populus. *Diod. l.16.* Trogus aliam opinatur nominis cauſam. Vetus peculiare ejus gentis fuiſſe ait, ut Lucani inter paſtores liberos ab initio pubertatis haberent, ſine ſervili miniſterio, ſine veſte quam induerent, aut ſtramento cui incubarent, ut à primis annis parſimoniæ aſſueſcerent. Cibus his venatica præda. Potus mellis & lactis & fontium liquor, ut per ea ad bellicos labores perferendos habiliores fierent. Ex his igitur quinquaginta primò, mox alia major manus latrocinia in finitimos exercuit. Oppoſuit huic injuriæ, ſociorum querelis fatigatus, Dionyſius Siciliæ tyrannus ſexcentos Aphros. Quorum præſidium ad excurſiones inhibendas communitum, per mulierem, cui Brutiæ fuit nomen, latrones expugnarunt, ibique civitatem paſtoribus ad opinionem novę urbis concurrentibus conſtituere, Brutioſque ſe à mulieris nomine appellarunt. *Sab. l.8. Enn.4.*

Iberi & Luſitani ætate integra, præſertim inopia oppreſſi, qui robore præſtant atque audacia, in montibus aſperis manu facta diverſis per Iberiam locis, latronum more levi armatura agilique corpore veloces diſcurrunt: populatiſque agris, ad montes veluti tutam patriam, quum ob locorum aſperitatem nullus eò exercitus adire poſſit, confugiunt. Adverſus hos profecti cum exercitu ſæpiùs Romani, eorum audaciam repreſſerunt, latrocinia nequaquam tollere potuere. *Diod. Sic. l.5. c.9.*

Germani olim permiſſa re domeſtica feminis, rapinis inſervire & armis fas habebant: materia enim munificentiæ erat per bella & cædes, non arare terram, nec expectare annum, ſed provocare hoſtes potiùs, & vulnera mereri: pigrum nempè, & iners videbatur, ſudore acquirere, quod poſſent ſanguine parare. *Polyd. l.8. c.7. de Rer. invent.*

STRABO Poſidonium facit teſtem, Cimbros latrocinando incertis errabundos ſedibus, ad paludem uſque Mæotim militiam proferre. Inde contracto vocabulo (quòd Cimbri veteri Gallorum lingua latrones vocitentur) ab eis vocitari Cimmerium Boſphorum, quaſi Cimbrum, cum Græcorum lingua Cimmerios Cimbros vocitet. Plutarchus autem in Mario de Cimbris teſtatur in hunc modum, populos eſſe Germanicos ex his qui ad boreum Oceanum ſedes haberent, homines magno corpore, horrendiſque oculis præditos. Apud Germanos autem (ait ille) Cimbri prædones appellantur. *Crantz. lib.1. c.8. Sax.*

Ambrones olim vulgò dicebantur, qui raptu maliſque artibus viverent. Originem indicat Feſtus Pompejus, admonens eam fuiſſe Galliarum gentem, quam quum mare inundans finibus ſuis depuliſſet, per aliena oberrantes, rapinis ac prædationibus ſe ſuoſque alere cœperunt. Manus erat formidabilis, non numero tantùm (dicuntur enim fuiſſe triginta millia) verùm etiam tum animorum ferocia, tum ratione pugnandi. Siquidem conferti rhythmis & concentu quodam in hoſtem ferebantur, ſubindè intonantes, Ambrones, Ambrones: ſive ut hac voce ſuos in unum convocarent, ſive ut hoſtibus terrorem incuterent. Ab his victi fuerant Romani duces Manlius & Cæpio: ſed primùm à Liguribus fracti ſunt, mox à C. Mario proſtrati, tandem ad Aquas Sextias unà cum Cimbris ac Teutonibus deleti ſunt. Ita fermè *Iulius Florus in Epitome lib.68. & Plut. in vita C. Marii.* Simili modo Cilicis vocabulum abjit in convitium rapacitatis, ac prædationis. *Eraſmus.*

Scribit Poſſidonius, Bojos priùs Hercyniam habitaſſe ſilvam, & Cimbros agmine facto hunc invaſiſſe locum, à Boiiſque ejectos, Iſtrum & Scordiſcos gentem Gallicam petentes deſcendiſſe, mox Tauriſcos, & deindè in Helvetios divertiſſe, abundantes quidem auro viros, cæterùm in pace degentes. Cùm autem Helvetii vidiſſent, ex latrocinio quæſitas opes ſuis longè majores, commotos fuiſſe, præcipuè Tigurinos, ac Turginos, ita ut cum eis in militiam profecti fuerint. Univerſos verò delevere Romani, & Cimbros, & alios tanti motus ſocios, partim in Alpium tranſitu in Italiam, partim extra Alpes. *Strabo l.7.*

Licattii Vindelicorum ferociſſimi, quorum veluti rex quidam Damaſia, cùm vicum aut urbem quandam in ditionem latrocinia exercentes traherent, non modò puberes, verùm etiam infantes mares trucidabant; prægnantes mactabant mulieres, quaſcumque illarum vates marem concepiſſe dicerent. *Strabo l.4.*

Terra Hunnorum in Pannonia novem circulis, quos Teutonici Haga dicunt, cingebatur: quorum ſinguli ita quercinis roboribus, ſive faginis, ſive abjetinis, erant exſtructi, ut de margine ad marginem viginti pedum ſpacium tenderetur in latum, & totidem erigerentur in altum. Concavitas autem univerſa aut duriſſimis lapidibus, aut creta tenaciſſima replebatur. Superficies vallorum eorundem integerrimis ceſpitibus tegebatur: inter quorum confinia plantabantur arbuſculæ. De primo autem circulo ad ſecundum viginti millia paſſuum Teutonica protendebantur, & inde ſimiliter ad tertium, & ita deinceps uſque ad nonum: quamvis ipſi circuli alius alio multò fierent contractiores, in orbem redeuntes.

Inter

A Inter hos aggeres ita vici villæque erant collocatæ, ut de aliis ad alias humana vox poſſet exaudiri. Contrà eadem ædificia inter inexpugnabiles muros, portæ non ſatis latæ, per quas latrocinandi gratia non ſolùm exteriores, ſed etiam interiores ſolebant exire. De circulo quoque ad circulum ſic erant poſſeſſiones & habitacula quaquaverſum ordinata, ut clangor tubarum inter ſingula poſſet adverti. Ad has munitiones per ducentos & ampliùs annos omnium Occidentalium opes raptores Hunni congregantes, orbem occiduum penè evacuarunt. Quos rex Carolus Magnus, everſa Cacani regia, ita perdomuit, ut ne minimæ quidem reliquiæ ſupereſſent. *Crantz. lib. 2. Sax. cap. 6.*

Sidonius Appollinaris Nammatio duci Romano ab Anthemio Imperatore contra Saxones miſſo, de Saxonibus ita refert: Archipiratæ Saxones ſimul omnes imperant, parentque, docent, diſcunt latrocinari: hoſtis eſt omni hoſti truculentior, improviſus aggreditur, proviſus elabitur: ſpernit objectos, ſternit incautos: ſi ſequatur, intercipit: ſi fugiat, evadit. Ad hæc exercent illum naufragia, non terrent. Eſt eis quædam cum diſcriminibus pelagi non ſolùm notitia, ſed B & familiaritas: ſi qua tempeſtas eſt, ſecuros efficit, incautoſque eos qui petuntur, atque Saxones hoſtes nihilominùs irruentes proſpici vetat: in medio fluctuum, ſcopulorum confragoſorum ſpe imminentis lethi periclitantur: prætereà priuſquam de continenti vela laxant, hoſtico vado anchoras vellunt. In patriam redituris mos eſt, decimum quemque captivorum ſorte legere, ſuperſtitioſo ritu necare, in crucemque agere. Talibus votis atque victimis ſolvunt, hocque ſacrilego ſacrificio de captivo magis exigunt tormenta, quàm precia. *Avent. lib. 2. Ann. Bojorum.*

Vandaliam latrociniis ab omni ævo infamem fuiſſe, & porrò etiam talem futuram, *Crantz. l. 3. Vand. cap. 21.* aſſerit, ob peculiarem Aſtrorum influxum.

Auſtriaci poſt obitum Alberti Cæſaris Friderico ſe commiſerunt, ea lege, ut ſi maſculum prægnans regina Elizabetha pareret, tutor ejus eſſet: ſi fœminam, terræ dominus. Nato Ladislao, tutelam ejus Fridericus accepit. Milites qui ſub Alberto meruerant, cum ſtipendio ſe fraudatos dicerent, provinciam latrociniis ac incendiis vaſtavere. Eorum vexatio ſeptuaginta millibus aureis à Friderico redempta eſt, cùm C Boemi & Hungari excurſiones in Auſtriam facerent. Mortuo Ladislao rege, latrones trans Danubium in Auſtriam, ad Moravæ fluminis ripam, munitum locum occupavere, omnemque circa regionem rapinis atque incendiis vexare cœperunt. Adverſus quos profectus Albertus Friderici Cæſaris frater, latrones vi cepit, interfectiſque pugnando compluribus, quingentos & quinquaginta captivos abduxit, ex quibus octuaginta furca ſuſpendit. Quæ res magnum ei apud Auſtrales & nomen peperit & favorem. *Æneas Sylvius c. 22. Europæ.*

Quum Joannes Corvinus regno Hungariæ gubernatoris loco præeſſet, Boemi in Hungaria inita ſimul ſocietate, quam fraterna charitate ſanxerant, & ſe mutuò hinc Fratres appellarant, multa latrociniorum gratia in Hungaria jam caſtella erexerant, quæ militibus & munitionibus obſirmarant, & longè latèque graſſati rapinis & latrociniis victitabant. Facinoroſum & ignobile hoc erat genus hominum, è gregario tantùm milite conflatum, cui partim caſtella erant quæ vi ceperant, partim quæ nuper erexerant. Monachorum ritu ſe Fratres appellabant, ferinis tamen moribus utebantur: quip- D pe quibus nil aliud placere videbatur, quàm raptu vitam ducere, vaſtare agros, latè populari, cædes paſſim agere, nihil æqui ſanctique dignoſcere. Duces crearant, quibus in agendis latrociniis ritè parerent: & quicunque apud eos majori facinorum gravitate claruerant, hi potiores habiti. Finitimas igitur regiones cædibus, flammis & populationibus infeſtabant. Vexabant omnia, & aut ad pendenda ſtipendia, aut ad emigrandum colonos adigebant. Gubernator comperta optimatum invidia, qui ſuperiores Hungariæ oras incolebant, à propugnandis eorum oppidis, inhibendiſque injuriis animum aliquantulùm avertit: & ut per ſe quandoque reſipiſcerent, proprio & alieno facinore vexari punirique permiſit. *Bonfin. l. 7. Dec. 3.*

Boemorum & Veteratorum copiæ (quibus rex Hungariæ Uladislaus, pacata ab incurſionibus fratris Alberti ulteriore Hungaria, Budam ſe recipiens, inter Vaciam & Agriam ſtativa conceſſerat) nullis ad tempus ſtipendiis procedentibus, pro libidine cuncta rapere, atque undecunque ſibi victum quærere inſtituerunt: neque verò frumenta ſolùm, pecora, altiliaque diripuerunt; ſed colonos etiam è propriis laribus pellere, & lectos, currus, cæteraque vel familiaris, vel ruſticæ rei inſtrumenta aſportare, templaque, quò agreſtes homines res ſuas, ut eſſent tutiores, convexerant, diripere, & E tormentis ac cruciatibus eos ad res abſconditas oſtendendas adigere auſi ſunt. Eòque pernicioſa eorum licentia eſt provecta, ut cuidam ſacerdoti Euchariſtiam loculo argenteo incluſam ad moriturum hominem ferenti, loculum è manibus eripuerint; alii virgines quaſdam, ſponſam mariti domum deducentes, ſtuprarint. Ex quo factum eſt, ut multis inedia diuturna quotidiè morientibus, aliis verò vitam duro aſperoque victu ſuſtinentibus, gravis & fœda peſtilentia conſequuta ſit. *Bonfin. lib. 1. Decad. 5.*

Poſt obitum Mathiæ Hungarorum regis, quidam ex illius exercitu Nigræ cohortis nomine, ex inſidiis occupata arce, Auſtriam & Moraviam latrociniis infeſtabant. Eos cum exercitu Fridericus III. Imp. vix tandem delevit. *Stumpfius.*

Pedites ejus generis, qui Haidones, Uſchochi, Martelloſii, Chimæriotæ, & Morlachi vulgò appellantur, agreſte hominum genus eſt, ſylvis atque nemoribus prædandi cauſa aſſuetum; ſed durum & velox, indomitique vi- F goris adverſus omnes cœli injurias, & in omne belli facinus paratum atque expeditum: utpotè qui nudis pedibus, aut tantùm carbatinatis per rupes & cautes confragoſarum vallium, aſperrimorumque montium crepidines, mira, uti in capreis videre eſt, celeritate diſcurrant, & ſagittis & fundis eminùs, cominùs autem præpilatis quibuſdam ſparis, pariiſque ſecuribus, ab ancipiti mucrone, quum eas nonnunquam contorqueant, mortiferis in hoſtes utantur. *Jovius lib. 37. Hiſt.*

Anno ſalutis milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſeptimo, cùm in Butrocio litore Solymannus haberet caſtra, Acroceraunii agreſtes ferique homines, qui Chimæram incolunt montem, immane conſilium ſuſceperunt tabernaculi regii noctu invadendi, concitante eos Damiano quodam latronum duce, abſtruſorum collium, qui ſunt in iis rupibus & ſylvis, peritiſſimo. Non reformidabant ullum vel certæ necis periculum, viri rerum omnium egentes, ideoque latrociniis aſſueti, & nullos certos colentes deos, ut incredibili præda atque uſitati facinoris gloria potirentur, ſi longè maximum terrarum orbis Imperatorem in G tabernaculo ſemiſopitum, & fruſtrà tot cuſtodiis confiſum occiderent: magno ſiquidem ſilentio, ferarum more, ſeſe inſinuaturos concubia nocte in ſtationem facilè ſperarant. Sed Barbaris ad id audendum facinus paratis fortuna defuit. Nam dux ipſe Damianus è notis rupibus delapſus ad explorandum prætorii ſitum, & circumjectæ ſtationis formam, vigiles & excubantes prætorianos non fefellit. Conſpectus enim in arbore ex fragore abruptæ frondis, uti erat ſemipenſilis, & ſpeculabundus, à Janizeris eſt comprehenſus, & per tormenta detectis quas parabat inſidiis, juſſu Imp. belluæ captæ modo diſcerptus eſt: unde mox magna illis agreſtibus clades illata eſt, emiſſis ſcilicet in eos Aſapis & Acanzis venationis modo, ad trucidandam, & quàm maximè poſſent, delendam horridæ atque infamis gentis ſtirpem. Ab hac enim genus ducunt Uſchochi maritimi prædones, Dalmatiæ ſcopulis aſſueti: & Haidones, à Turcis Martelloſii dicti, qui Illyricis nemoribus inerrant, & cunctis mortalibus ex profeſſo hoſtes, uſque ad interiores Pannoniæ limites latrocinia exercent. *Jov. l. 36.* H

SINGILLATIM.

Jephthe Galaatides à fratribus pulſus, latrocinia exercuit, judex poſteà Iſraelitarum conſtitutus. ☞ *Vide Tit. Auctoritatis, Fortitudini alterius multum tribuere.*

Razon Eliad filius, cùm ab Adarezer Sophenæ rege domino ſuo aufugiſſet, latronum dux extitit: & David rege contra Sophenos exercitum ducente, aſtu Damaſcum occupavit, Syriæque regno potitus, Salomonem regem infeſtavit. *3. Reg. c. 11.*

Barrabam fuiſſe latronem, docent ſacroſancti Euangeliorum libri: quod nomen ei fuiſſe perhibent nonnulli; ad Chriſti dexteram in cruce pependit, & ſcelerum veniam impetravit.

Reperiuntur S. Dimæ latronis nomine dicata plura Sacella. Legatur *Bonon. in notis ad martyrolog. 25. Martii.*

A **Ezechias** latronum princeps Syriam vaſtantium, ab Herode Antipatri F. Galilææ præfecto cæſus. *Joſephus lib. 14. cap. 18.*

Poſt Herodis Regis mortem, Archelao confirmandi regni cauſa Romæ abſente, latrociniis miſerè afflicta fuit Judæa. Namque Judas Ezechiæ latronum ductoris, olim per Herodem magno labore expugnati, filius, apud Sephorim urbem Galilææ, collecta circa ſe hominum deſperatorum manu, incurſabat regis ditionem, & potitus ejus armamentario, armatiſque inde ſuis ad unum omnibus, pecuniam quoque regiam in illis locis occupavit: jamque formidandus accolis ſpoliabat in quoſcumque incideret, aſpirans ad regnum, affectanſque hoc faſtigium non bonis artibus, quarum imperitus erat, ſed nocendi licentia. Simon etiam Herodis regis ſervus, vir alioqui, & forma, & ſtatura, & robore egregius imprimis habitus, auſus eſt diadema ſumere: ſtipatuſque numeroſis copiis, & rex conſalutatus ab inſana multitudine, placebat ſibi præ quovis alio, auſpicatus poteſtatem diripiendi ac incendendi Hericunthina regna: paſſimque crematis aliis Regis palatiis, & præda con- B ceſſa ſuæ factionis hominibus, majora etiam auſurus videbatur, ni Gratus regiorum militum dux, tum Romanorum partes fovens, eum profligaſſet. Anthroges quoque paſtor obſcuriſſimus, vaſto tantùm corpore, & manuum robore inſignis, attentavit dignitatem regiam, paratus animæ periculo depaciſci nocendi licentiam: huic erant quatuor fratres, ipſi grandi ſtatura, & manu prompti ad quodvis arduum facinus, inſtrumentum, ut ipſi videbatur, idoneum ad occupandam tyrannidem, quòd eorum quiſque ductaret cohortem militum: magna enim ad eos turba confluxerat, quam in fratres quaſi legatos diſtributam obire jubebat prælia: ipſe diademate ornatus conſultabat de rebus agendis, quarum penes ſe ſervabat arbitrium; duravitque diu poteſtas hujus, & non inanis Regis appellatio, dum quicquid collibuiſſet exequitur, maximè in Romanos cædibus ſæviens, & milites regios, utriſque ex æquo infenſus, his propter licentiam qua ſub Herode uſi fuerant, Romanis propter recentem injuriam. Tandem tamen à Grato & Romanis, atque etiam Archelao victi ſunt. *Joſephus l. 17. cap. 12. Antiq.*

C **Eleazarus** Dinæi F. latronum princeps in Judæa, data fide à Felice præſide circumventus, Romam vinctus miſſus eſt. *Joſeph. l. 2. c. 6. Antiq.*

Bello Judaico, cum ſeditioſi quidam, & fugitivi Judæi Joppen à Ceſtio Syriæ præſide captam denuò occupaſſent, latrocinia, & piraticam exercere cœperunt. At Veſpaſianus noctu urbem occupavit. Joppenſes omnes in naves confugere, & iis in mare ad ſagittæ jactum productis pernoctavere. Manè cohortus Melamboreas ventus, naves in objectas cautes afflixit, ut omnes ad unum interierint: iis etiam, qui enatabant, à Romanis in littore obtruncatis. *Joſeph. l. 3. c. 15. Bel. Jud.*

Boccatius in deorum Genealogiis tradit, Lycaonem Arcadiæ Regem, devictis Moloſſis, obſidem quendam ab iiſdem accepiſſe, qui cum ad certum tempus non remitteretur, per legatos repetitum fuiſſe. Ibi tum Lycaonem, occiſo obſide, carnes ejus legatis edendas appoſuiſſe. Sed ex convivis Lyſaniam quendam nomine, qui poſteà Jupiter dictus fuit, cognito ſcelere, in publicum proſiluiſſe, Arcadeſque contra regem immanitate facinoris concitaſſe. At- D que ita devictum ejectum regno Lycaonem, in ſylvas abiiſſe, ibique reliquam ætatem latrociniis, & cædibus, luporum more egiſſe. *Gilb. Cogn. lib. 2. Narrat.*

Phorcyn vir fuit Cyrenæus, quod genus eſt Æthiopicum. Habent verò inſulam Cyrenem, extra columnas Herculis: arant verò agrum Libyæ ad Annona fluvium, non procul Carthagine: ſunt auri dites admodùm. Ita Phorcys tricubitam Minervæ ſtatuam ſtruxit, quam priuſquàm conſecraret, mortem obiit. Illi verò deam Gorgona nominant. Tres reliquit filias, Stenun, Euryalem, Meduſam, quæ nulli voluerunt nubere, ſed patrimonium inter ſe diviſerunt, unicuique ſua inſula obvenit: ſimulacrum autem neque dedicarunt, neque ſunt partitæ, ſed theſauri loco reſervarunt, ut per vices poſſiderent. Erat Phorcyni ſocius in omnibus fideliſſimus, quo non aliter, quàm oculo utebatur. Perſeus Argis profugus, cùm piraticam exerceret, ageretque ex maritimis locis prædas, audiſſetque Gorgonas inſulas mulierum eſſe, auri ejus copiam, virorum inopiam, primùm in freto inter Corſicam, & Sardiniam delituit, in quo virum illum, qui jam de miniſterio oculus vocabatur, cùm ab alia ad aliam mitteretur, intercepit, E cognovitque non eſſe, quod poſſet rapere, præter Minervæ ſimulacrum, in quo eſſet tanta auri vis. Puellæ cum demirarentur, quid eſſet factum ſuo oculo, Perſeus appulit, qui ſignificavit ſe habere, quem ſe negavit redditurum, niſi ſibi indicaretur Gorgonæ ſimulacrum: addidit inſuper minas, occiſurum ſe illas, ni indicarent. Meduſa inſtitit nihil prodere, reliquæ prodiderunt. Ita Meduſa ſola eſt occiſa, duabus oculum ſuum reddidit. Caput Meduſæ in triremi poſuit, & navem de nomine illius Gorgona nuncupavit. Tum pergens latrocinari, pecunias ab inſulanis exigebat, occidens, & vexans qui non darent. A Seriphiis cùm poſtulaſſet, illi urbe ceſſerunt, in quam Perſeus ingreſſus cum ſuis deſertam, vidit in foro tantùm maximos lapides ſtantes humanæ magnitudinis: Aſpicite, inquit Perſeus reliquis inſulanis, ut mea Gorgo homines vertit in lapides: cavete, ne & vobis idem accidat. Hæc Palæphatus, qui multùm in topographia fallitur. *L. Vives in lib. 18. Auguſt. de Civit. Dei, cap. 13.*

In Græcorum commentariis invenio, triremem fuiſſe quandam miræ pernicitatis, cui nomen fuerit inditum Scil- F læ, παρὰ τὸ σκυλεύειν, quòd hac graſſantes Piratæ mare Tyrrhenum ac Siculum infeſtarent, reliquaſque naves quotquot præteriiſſent, diſpoliarent. Hinc occaſionem datam fabulæ de Scylla in monſtrum marinum converſa. *Eraſm. in Chil.*

Quum prædo quiſpiam in agrum Lacedæmoniorum feciſſet incurſionem, atque ubi captus eſſet, dixiſſet: Ideò hæc ſe feciſſe, quòd non eſſet, quo aleret militem; proinde ad eos vertiſſe ſeſe, quibus ſupereſſet, nec impartirentur: Cleomenes σύντομος ἔφη ἡ πονηρία. i. Compendiaria, inquit, res improbitas. *Eraſm. in Adag.*

Palæphatus Bellerophontem Phrygium fuiſſe dicit ex genere Corinthiaco, qui pirata juxta anguſtias illas Aſiæ & Europæ prædas agebat longa navi, cui nomen Pegaſus. In Phrygia mons erat Telmiſſus, cui adjunctus is, qui Chimæra dicebatur, proximus valli, unde incendia prodibant. In Chimæra feræ erant permultæ, agricolis noxiæ, ut leones, & dracones. Bellerophon totum montem incendit: ita feræ perierunt. Pindarus, καὶ χίμαιραν πῦρ πνέουσαν. *Plin. lib. 2. Solinus c. 42.*

Chymeram Amyſodori filiam, quæ in Lycia cum Leone & Dracone filiis latronibus graſſaretur, fuiſſe perhibent G nonnulli: diſſentit *Plut. in lib. cui titulus* γυναικῶν ἀρεταί. *Palæphatus in Belleroph. & Servius Æneid. 6.*

Proteus maris Deus, in Pharo Alexandriæ habitavit, Thoronem, quę ex Ægypto in Phlegram Pallenes profectus, uxorem duxit. Nati ſunt illi filii è Thorone Tmylus, & Telegonus, quorum meminit Euripides in Helena. Hi peregrinos crudeliter interimebant. Quorum ſævitiam cùm Proteus æquo animo ferre non poſſet, impetraſſe à Patre Neptuno dicitur, ut in Ægyptum rurſus ferretur. Cujus preces cum audiviſſet Neptunus, è quodam Pallenes hiatu ſpeluncam ſub mari fecit, in qua illum in Ægyptum uſque ſiccum perduxit. Deinde cùm Hercules ob crudelitatem, qua in hoſpites utebantur, Tmylum & Telegonum obtruncaſſet, cognita cæde filiorum, neque lacrymas emiſit, quia nefarii eſſent homines, neque riſit, quòd eſſent filii; ut ſcripſit Theopompus lib. 8. rerum Græcarum. *Natalis Comes Mithol. lib. 8. cap. 8.*

Busiris Rex Ægypti fuit, qui Buſirim urbem condidit, & Nomon, loco importuoſo, & inhoſpitali; unde initium fabulæ, quòd occiderit hoſpites. Nam bubulci, qui eo loco tenent H paſcua, ſuis gregibus appulſos hoſpites, ſi imbecilliores ſint, ſpoliant. Euſebius Buſiridem latrocinia exercuiſſe ait, quem Hercules Ægyptius occidit, totamque eam regionem ex infeſta pacatam tranquillamque reddidit. *L. Vives in lib. 18. Aug. de Civit. Dei, cap. 12.*

Fertur Sphinx prædatrix fuiſſe, quæ juxta Moaben lacum Phyceumque montem rapinas exercuerit, atque ex inſidiis erumpens, ad hominum prætereuntium perniciem convolaverit: in eo autem monte in inſidiis conſedit, donec Oedipus, ſuperata loci difficultate, cum Corinthiorum exercitu eam ſuperavit, ut ſcripſit *Strabo lib. 9. & Phanodemus lib. 5. rerum Atticarum.* Idem *Strabo, & Pauſanias in Bœoticis,* memoria produnt, mare illud priùs, quod eſt apud Anthedonè, piraticis incurſionibus Sphingem infeſtaſſe, deinde ad terreſtres inſidias, & latrocinia ſe contuliſſe. Dicta eſt enigmata indiſſolubilia viatoribus proponere, quia ob difficultatem locorum nemo illam vincere poterat, ante Oedipodis exercitum, A citum, qui omnes illas occultas ambages, & locorum difficultates ſuperavit. Alii dicunt, illam, cum latrocinia exerceret, ænigmata captivis proponere ſolitam: quæ ſi quis ſolviſſet, liber cum omnibus ſuis rebus dimittebatur. Ad hujus autem crudelitatem, & celeritatem exprimendam, varia diverſorum animalium membra attributa ſunt. Crudelitatem, & rapinas ſignificabant ungues leonis, & griphi: alæ, ſociorum prædonum erat celeritas. Scribit *Philochorus in libro de Sacrificiis, & Suidas*, Minervæ conſilio Oedipum, ſocietate rapinæ ſimulata, ſe ad Sphingem contuliſſe: atque novis ſemper ſociis Oedipo ſe addentibus, denique illam cum magna ſuorum manu oppreſſiſſe. *Natalis Comes lib.9. cap.18.*

In prima Iſthmi Corinthiaci fronte locus eſt, ubi Sinis latro, curvatis ad terram diverſarum picearum ramis, ad eos, quos pugnando viciſſet, arctis utrinque vinculis alligabat, ut cùm in ſuam naturam arbores rediiſſent, miſerabilem illi in modum diſtraherentur: quo ipſe poſtea ſupplicii genere à Theſeo affectus eſt. Totam enim eam viam, quæ Athenas è Trœzene ducit, Theſeus à latronibus perpurgavit, Sini in- B teremto: item Pityocampte, qui in Cromio Corinthiaci agri vico habitabat: & Epidauri Periphete, quem Vulcano natum putabant, quique in pugna ænea clava utebatur. *Pauſ. in Corinth.*

Procuſtes latro fuit inſignis in Attica, hoſpites interimens. Tandem & ipſe interfectus eſt ab Hercule. *Ovid. lib.7.*

Vidit & immitem Cepheſias ora Procuſtem.

Cercyon Atticam regionem latrociniis infeſtavit. *Ovid.*

Cercyonis lethum vidit Cerealis Eleuſis.

Sciron, cùm Megarenſium copiis præeſſet, primus viam, quam Scironem appellant, munivit, ita ut expeditis hominibus æqua eſſet, propè Moluridem petram, è qua ſeſe Ino cum Melicerte filio in mare præcipitavit. Vicina ſaxa infamia & conſcelerata ſunt, eò quòd Sciron inde, quoſcumque nactus eſſet hoſpites, deturbaret, officium ab illis exigens, ut ſibi pedes lavarent; quos adnatans marina teſtudo conficere dicebatur. Sed eodem poſtea mortis genere à Theſeo affectus eſt. *Pauſanias in Atticis*. Ejus oſſa in ſaxa mutata fabulatur *Ovidius lib.7. Transmut.*

C Trans Erymantham fluvium Elidis, Sauri latronis ab Hercule interfecti ſepulcrum conſpicitur, à quo locus ille Sauri jugum dictus eſt. *Pauſ. lib.6.*

Arsaces, premente inopia, latrociniis perinventam dedit operam: coactaque exulum manu, quos Parthos nuncupant, devicto Seleuco, & Mandragora, in Regem Parthorum aſſumptus eſt: quos ita rexit, ut diem victoriæ, tanquam natalem libertatis, poſt multos annos ſolemnem celebrarent, ejuſque nomen tam ſanctum eſſet, ut qui poſt illum regnarunt Parthorum reges, cognomen Arſacis ſibi poſteriſque ſumpſerint. *Alex. ab Alex. lib.1. cap.2. & Fulg. lib.3. c.4.*

Attabas & Numenius latrones famoſiſſimi, Adagio locum fecerunt, Conveniunt Attabas & Numenius, quoties improbus aggregatur cum improbo. *Ex Diog. Eraſm.*

Latro quidam Eubœenſis ab Apolline necatus. ☞ *Vide Tit. Sacrilegorum.*

Sicyoniorum tyrannus Cleon fertur κατακοντιστὴς, id eſt, pirata fuiſſe prius, qui non præda contentus, captos etiamnum in mare dabat præcipites. *Cælius libro vigeſimoprimo,* D *cap.38. Antiq. Lect.*

Macareus Latro. ☞ *Vide Tit. Perfidi hoſpites.*

Pirata quidam populabundus diſcurrebat per agros Lacedæmoniorum. Is ut captus eſt, rogatus, Cur id auſus eſſet? Quoniam, inquit, deerat mihi commeatus, quem militibus præberem, ad eos veni, qui & habebant, nec ſponte dabant, vi erepturus. Ad id Cleomenes: Compendioſa, inquit, malitia. Deteſtatus prædonis nefarium ſcelus, probavit tamen orationis expeditam brevitatem. *Plut. in Lacon. apoph.*

Dionysius Phocenſis, dux fortiſſimus, commiſſa apud Miletum navali pugna contra Perſas, cum Jones, quibus ipſe auxilio venerat cum tribus navibus, victos eſſe videret, captis tribus hoſtium navibus, rectà contendit in Phœnicem: ubi navibus onerariis ſpoliatis, raptaque ingenti pecunia, in Siciliam navigavit, & latrocinia exercuit, in nullum quidem Græcorum, ſed in Carthaginenſes ac Tyrrhenos. *Herod. lib.6.*

Scirpalus piratarum princeps, à quibus Diogenes Cynicus in Æginam navigans, comprehenſus, & in Creta Xeniadi Corinthio venditus fuit. *Laert. lib.6.*

Liparenſes piratæ Romanorum legatos capiunt. ☞ *Vide Tit. Legati violati.* E

Bargulus Illyricus latro, de quo eſt apud Theopompum, magnas & ampliſſimas collegit ex latrocinio opes. Cujus mentionem facit *Cicero lib.1. Offic.*

Harpalus inſignis & felix prædo, diis illudebat, quòd in illa fortuna tamdiù viveret. *Cic. lib.3. de Nat. deor.*

Minas pirata, ſub Sexto Pompejo oras Italiæ, & omne circum pelagus prædatoria claſſe infeſtavit.

Balista ludimagiſter quiſpiam, ob infamiam latrociniorum lapidibus coopertus eſt: in quem Maro etiamnum puer hoc dyſticho luſit:

Monte ſub hoc lapidum tegitur Baliſta ſepultus:
Nocte dieque tuum carpe viator iter.

Fama eſt, Romæ ferum hominem, & latronem fuiſſe, qui multis ſpoliatis, vix tandem captus, & ſupplicio eſt affectus. Hunc dictum Marcellum fuiſſe, cujus ex bonis publicum eſt extructum macellum, quod nomen ab illo mutuatum eſt. *Plut. in quæſt. Rom.*

Spartacus latro, & gladiatorum princeps, collecta fugitivorum, & perditorum hominum manu, bellum Ro- F manis intulit. Hunc vicit P. Craſſus. ☞ *Vide Titulum Servi erga dominos perfidi.*

In excelſis Tauri partibus eſt Olympus, Zeniceti piratæ ſedes, & mons, & caſtellum eodem nomine, è quo tota Lycia, & Pamphylia, & Piſidia cernitur. Zenicetus, capto monte à Servilio Iſaurico, ſe cum tota domo concremavit. Ejus erat Corycus, & Phaſelis, & multa Pamphyliæ loca, quæ omnia in Iſaurici venerunt poteſtatem. *Strabo l.14.*

Romani Sicilia potiti, cognita ſolitudine, montes, & campeſtria plurima equorum paſtoribus, & bubulcis, & opilionibus fruenda præbuerunt, à quibus inſula ſæpenumerò in maxima rerum diſcrimina conſtituta fuit. Primùm quidem paſtores ipſi ad latrocinia ſparſim vertebantur: inde coadunatis in unum copiis, vicos populabantur. Eunus ſervus Ætnam occupavit. Selurys quidam, qui ſeſe Ætnæ filium prædicabat, exercitus ductor, cùm diutiùs circa Ætnam prædando diſcurſaret, miſſus eſt Romam, ubi in foro gladiatorum certamine inſtituto, in ſublimi poſitus ædificio, perinde ac in Ætna, cùm derepentè diſſolutum unà concidiſſet, in belluarum caveas, ad hoc ipſum præpa- G ratas, præcipitatus, à feris diſcerptus eſt. *Strabo lib.6.* hoc ſe vidiſſe teſtatur.

☞ *Vide Titulum, Servi erga dominos perfidi.*

Viriatus homo obſcuro ſordidoque loco apud Luſitanos natus, ex paſtore primùm venator factus, & mox ex venatore latro, ad poſtremum juſti quoque exercitus dux, univerſam occupavit Luſitaniam. Quo motu tantum incendium exarſit, ut quatuordecim fermè annos ultra citraque Iberum, vario ſit marte de Hiſpaniæ poſſeſſione certatum. Primò M. Vetilium prætorem Barbarus hoſtis cepit, fuſo fugatoque ejus exercitu. Nec multò meliore eventu C. Plautius poſtea id bellum adminiſtravit, qui pluribus præliis fractus, fugienti ſimilis ceſſit in pacatum. Claudius inde Unimanus, & ipſe quidem prætor, tertio eſt loco in Viriatum & Celtiberos miſſus. Fuſus eſt ejus ductu, magnaque ex parte cæſus Romanus exercitus, trabeas, faſces, cæteraque magiſtratus inſignia, quæ victor hoſtis ceperat, in trophæi ſpeciem, iis montibus quibus latrocinari erat ſolitus, ſuſpendit. Cæcilius Metellus proconſul Celtiberos cæcidit, & à Q. Fabio Maximo, qui pari poteſtate cum H exercitu in Luſitania erat, magna ejus pars eſt armis ſubacta, circumducto ad ſingulas urbes exercitu; infregeratque Fabius uſque adeò Viriati opes, ut jam in poſſeſſione victoriæ Romanus eſſet. Cæterùm eam ſpecioſè ademptam Pompilius, qui Fabio ſucceſſit, nimia vincendi cupiditate fœdavit: qui dum finire bellum nimis properat, perdidit omnem finiti laudem, domeſticis percuſſoribus hoſti ſubornatis: qui, quum ille ſæpiùs victus jam deditionem agitaret, eam gloriam victo contulit, ut aliter vinci non potuiſſe videatur. Livius Servilii Cœpionis conſilio Viriatum interfectum auctor eſt: qui, quum percuſſores patratæ cædis præmia repoſcerent, reſpondiſſe fertur (ut pudendum credo conſilium celaret) Nunquam Romanis placuiſſe, Imperatorem à ſuis militibus interfici. Periit Viriatus decimoquarto anno, ex quo bellare cum Romanis cœperat, dux maximus, & qui cum hoſte congreſſus ſæpiùs viciſſet. Eum extinctum Barbari honorificentiſſimè funerarunt. *Sab. l.9. En.5.*

C. Cæsar, cum Syllam fugeret admodũ adhuc juvenis, in-

A cidit in Piratas. Ac primùm cùm popoſciſcent ab eo ſummam argenti: prædones, quòd ignorarent, quem tenerent, deriſit, alterumque tantùm promiſit ſe daturum. Deinde cuſtodientibus ſe, dum argentum cogitur, imperabat, ne dormientem interpellarent, & ſilentium tenerent. Orationes etiam, & verſus ſcribebat, quos eis recitabat. Eos niſi valdè laudarent, inſulſos appellabat, & barbaros, ac per jocum ſuſpenſurum eos ſe minitabatur; quod brevi poſt fecit. Siquidem pretio redemptionis allato dimiſſus, contractis hominibus ex Aſia navibuſque, redegit in poteſtatem prædones, ac cruci ſuffixit. *Plut. in apophthegmat.*

Myſiæ mons Olympius in vertice ſylvas habuit ingentes, alendis latrociniis accommodatas, & loca optimè ſepta: ex quibus ſæpè tyranni, & prædones vicinas gentes infeſtavere, inter quos fuit Cleon latro è vico Gordo: quem poſtea augens, urbem fecit, & Juliopolim appellavit. Is Antonio valdè utilis fuit: nam profectus ad eos qui pro Labieno tributa colligebant, omnia impedivit, quo tempore ille Aſiam obtinebat. In Actiaco autem bello quum ab Antonio deſciviſſet, Cæſaris ducibus adhæſit, & ultra munera ab B Antonio data, accepit etiam quæ Cæſar dedit, ita ut pro latrone principis habitum gereret. Erat autem Jovis Abretanii ſacerdos, quem deum Myſii colebant: poſtea Comanorum ſacerdotium in Ponto accepit. Ad quod cùm veniſſet, intra menſem obiit, ex nimia crapula morbo correptus. In eo phano prohibitus erat ſuilarum eſus carnium, unde nec in totam urbem ſus inferebatur: ſed Cleon latronum more conſuetudinem prævaricatus eſt, atque idcircò creditus ira deæ interiiſſe. *Æneas Sylv. cap.59. Aſiæ, ex Strab. lib.12.*

Sextus Pompejus, Pompeji magni filius, piraticam itidem exercuit. *Lucanus*:

Sextus erat magno proles indigna parente;
Qui mox Scyllæis exul graſſatus in undis,
Polluit æquoreos Siculus pirata triumphos.

Coracota latro inſignis in Hiſpania fuit. Eum qui cepiſſet vivum, decem aureorum millia ab Auguſto accepturus videbatur. At poſtquam is ultrò Auguſti fidei ſe commiſit, immunitatem ei conceſſit, & muneribus inſuper affecit. *Dion. in Auguſto.*

Tetrinius latro quum poſtularetur, eos qui poſtularent C Tetrinios eſſe, ait Caligula Imperator, hoc eſt, ipſos accuſatores latrones eſſe, & tales, qualis dicebatur Tetrinius. *Svet.*

Bulas famoſiſſimus latro, ſub Severo Imperatore variis bellis occupato per totam Italiam, comparata manu ſexcentorum latronum, poſteaquam Centurionem vitæ inſidiatorem cepiſſet, raſo capite ad Severum Imperatorem remiſit: Nuncia, inquiens, dominis tuis, ipſos ſervos ſuos alere, ne latrocinentur. Habebat enim Bulas multos apud ſe Cæſarianos, partim exigua mercede conductos, partim nullo certo ſtipendio. Cujuſdam mulieris, cum qua ſcortabatur, ope deprehenſus, & à Papiniano Juriſconſulto præfecto prætorio interrogatus, cur latrocinium feciſſet? reſpondit: Et tu dic cur præfectus ſis? Erat nimirùm Papinianus homo prædives, & magnæ apud Cæſarem exiſtimationis, & propter opum ſuarum ſplendorem in aulam admiſſus: Bulas verò penuria rerumque egeſtate vexatus, latrocinio victum quærere cogebatur. *Dion. in Severo.*

Ammianus Marcellinus ſcribit, Arſacem Parthorum Regem inter adoleſcentiæ rudimenta ductorem fuiſſe latro- D num: verùm mutato poſteà in melius propoſito, multa glorioſè, & fortiter egiſſe, ſuperato etiam Nicanore Seleuco, Alexandri ſucceſſore. *Alex. lib.1. cap.2.*

Moses Æthiops natione, præſul antea Saracenorum, captus deinde ab Ægyptiis, ob vitia à domino repulſus, in latrociniis aliquandiù vixit. Converſus deinde ad frugem pervenit, & monaſticam vitam amplexus eſt. *Ex hiſtor. Tripart.*

David latro in Thebaide ſuperiore, apud Hermopolim, cum aliis triginta prædonibus, tandem meliore ductus ſpiritu, incluſit ſe monaſterio, ubi ad mortem uſque ſanctiſſimè vixit. *Fulg. l.6. c.9.*

Capiton latro, pœnitens annis quinquaginta manſit in quodam antro.

Bavo, vel Bano, vel Alboinus prædo, ab Amato Epiſcopo Senonenſi converſus, clericus factus eſt in monaſterio Gandavenſi. Cum in eum incidiſſet, quem olim captum vendiderat, ad pedes ejus provolutus, ſe vinciri, publicæque cuſtodiæ tradi imperavit. In vinculis illis mortuus eſt, an. 630. *Vinc. l.24. c.6.*

Vimeris Bononienſis. ☞ *Vide Tit. Pœnitentiæ religioſa.* E

Carausius per Belgicam, & Armoricam, pacando mari à Maximiano Imp. præpoſitus, quod Franci, & Saxones infeſtum habebant, prædam Barbaris captis ademptam neque provincialibus reddebat, neque Imp. tradebat, ingenteſque hoc modo divitias cumulavit. Mox in Britannia naves Romanum in modum conſtruxit, legionem Romanam, quæ ibi in præſidio erat, abduxit, aliquot militum peregrinorum cohortes interclusit, mercatores Gallicanos ad delectum contraxit, barbarorum & maximè Francorum innumerabiles copias ſpoliis provinciarum diviſit, illexit, atque inde prædonum more omnia Galliæ, Italiæ, Hiſpaniæque littora latrociniis infeſta habere inſtituit: unde illud piratici belli nomen invenit. *Sigonius lib.1. Imp. occid.*

Othomannus primus Turcarum Imp. agricola, in Bithynia latrocinia exercuit. *Egnat. l.3. cap.4.*

Tempore Michaelis Comneni Palæologi Imp. in Bulgaria quidam extitit, ſubulco patre ortus, ſed verſuto vir ingenio, nomine Lachanas, ab oleribus quibus victitabat, qui magna nebulonum manu facta, latrocinando vitam toleravit. Unde brevi tempore magnas divitias, & juſtum exer- F citum coegit. Hujus continentes incurſiones, & detrimenta non ferens Conſtantinus Bulgarorum princeps, acie congreſſus vincitur, & cum regno vitam amittit. Lachanas præter principatum etiam conjuge Conſtantini potitur. *Greg. lib.4.*

Hunc Pachimerius Bulgaricè Corducubam nominat. Qui cùm pane, & agreſtibus herbis victitans, principatum ſibi divinitùs deſtinari, ſuis gregalibus ſubinde narraret: tandem manu facta, cùm Conſtantinus ob fractum crus negligeretur, Scytharum incurſiones ſæpè ultus eſt.

Cottanitzes latro captus, ſupplicii metu factus eſt monachus: ſimulataque ad tempus religione, per occaſionem ad Serviæ Cralem elapſus, dux copiarum factus, ab eo tandem Andronico propter Simonidis conjugium captivus traditus eſt. *Pachym.*

Ronzerius vir ætate juvenis, torvo vultu, in exequendo deſtinata velox, in agendo vehemens, everſa Ptolemaide, monaſterio relicto, piraticam exercuit. *Idem.*

Tamberlanes ſive Temires Sangalis F. equorum paſtor, G è fure latronum dux, facta manu magnas prædas egit. Eum Maſſagetarum rex ſuis præfecit copiis. Mortuo rege, reginam duxit uxorem, & res maximas geſſit. *Chalcondilas lib.3.*

Alvida Sivardi Gothorum Regis F. piraticam cum virginibus exercet. ☞ *Vide Tit. Mulieres fortes.*

Latro quidam ſub Jacobo II. Scotorum Rege ob ἀνθρωποφαγίαν cum tota familia exuſtus. ☞ *Vide Tit. Crudelitatis indoles.*

Angli navigatione in Livoniam inſtituta, quum in mari Rigenſi ſereno aere fruerentur ſine ventis, obvioſque viderent Livones mercatores, onuſtis navibus occiduas petere partes, amica ſalutatione de navi jubent propiùs aſſiſtere: invitantque (per maris quietem ſtantes ad anchoram) ſuas in naves ad epulas. Nihil veriti fraudis, quòd omnia eſſent pacata, deſcendere in eorum naves. Illi eos in mare proturbarunt, captiſque navibus in Angliam redierunt. Miſere oratores Caliſiam ad Anglos, anno Sal. 1453. Rex Henricus literas dedit de aliquantis millibus nabulorum exſolvendis: quæ litteræ etiam nunc extant, necdum tamen pecunia eſt exſoluta. *Crantz. lib.11. Vandaliæ, c.37.* H

Priguiſſę Vandalorum habitatores, ad deprædationem publicorum itinerum (quem illi propè juſtum habent quæſtum) ſemper ſunt expediti. An. Sal. 1440. cxx. equites venere Maſinopolim, ducem habentes tanti equitatus Henricum Pinguem. Nemo enim paulò honeſtior in latrociniis nomen ſuum profitetur: ſed hominem ruſticani generis pręficiunt, quem ſine nomine ſequuntur nominatiſſimi. *Crantz. l.12. Vand. c.13.*

Alexander Stuart, Roberti II. Scotorum Regis nothus, prædonum ſtipatus manu, templum Cathedrale Moravienſe, ornamentum Scotiæ Borealis, incendit, propterea quòd iniquis ejus poſtulatis Epiſcopus Moravienſis conſentire noluiſſet. Inde Aberdoniam profectus, ejus loci Epiſcopum Adamum ad necem inquiſitum pertraxit, dictitans fautorem eum auctoremque Antiſtiti Moravienſi non obſequendi ſuæ voluntati extitiſſe. Verùm offerente ultrò canum caput venerando ſene, permoti reverentia viri ſocii Alexandri, interceſſere atque obſtitere, ne occideretur. Non multò poſt in carcerem conjectus eſt uſque ad patris mor-

A tem. Ejus filius Duncanus, paternis inſiſtens veſtigiis, Anguſiam plurimis affecit incommodis, Raberto III. regnante: Vvalterium Ogiluy Vicecomitem Anguſianum cum amicis filiiſque ac magna militum multitudine obvium cæcidit. A Comite Craufurdiæ fugatus. *H. Boeth. lib. 6.*

Inſignis latro Examites, natione Boemus, Huſſitarum aſſecla, ſub Sigiſmundo Imperatore milites prædandi cupidos undecumque ad ſe venientes benignè collegit, eoſque fratres appellavit, & univerſam Hungariam trans Danubium (Septuſium vocant) tributariam ſibi reddidit, exædificatis munitioribus locis opportunis, prædas in fine cujuſque menſis viritim dividens. Ex quibus non plus accepit, qui totum menſem, quàm qui diem unam ante diviſionem in caſtris fuit numero fratrum adſcriptus. Hæc ſocietas cùm longè latèque rapinas ageret, & jam quinque millia pugnatorum in armis haberet, in dieſque creſceret, non aliter diſſipari potuit, quàm duce ipſo Examite ad ſtipendia Ladislai regis vocato. *Æneas Sylv. c. 1. Europ.*

Nobilis quidam Boemus Huſſitarum ſectæ, ingreſſus monaſterium Oppatovitium, hoſpitioque cum tribus B comitibus à Petro Abbate benignè exceptus, tres mox alios induxit, ac deinde viginti ſimul prædones, dato illis negotio, ut obvios quoſque monachos trucidarent: adhibita inſuper ſeni Abbati crudeliſſima tormenta, ut theſauros monaſterii proderet. At ille nullum omninò verbum per cruciatum emiſit. Qua re exaſperatus immanis hoſpes, in omnia loca occluſa invadit, armaria refringit, cyſtas recludit, & quidquid in illis aureæ, argenteæque monetæ inerat, id totum diripit. Mox donario perquàm opulento impias manus admovet, ſignaque inde & calices & cruces, atque alia hujuſmodi utenſilia ex auro, & gemmis pretioſa, plauſtris imponit, ſecumque advecta domum aſportat ſuam. Trigeſies ſeſtertium æſtimata fuerunt bona illa ablata: Ipſi quoque Abbati vitam abſtulerunt. *Dubravius lib. 3.*

Paulò ante Sigiſmundi Boemiæ regis mortem Joannes quidam Robacius, vir optimo genere, at peſſimo ingenio, non longè à Cuthnis montibus, in edito colle caſtellum erexit, quem montem Sion appellavit, auguratus ex eo, quandoque loco promanaturam eſſe veritatem, quæ Boemicam gentem in libertatem vendicaret. Quum cæteri C proceres, audito Sigiſmundi Imperatoris adventu, Iglaviam cum univerſa nobilitate proficiſcerentur, ut eum pro dignitate exciperent, hìc domi remanens prædas exercebat. Infeſtat finitimos, & regem demùm laceſcere non veretur. Boves ac vina, quæ ex Hungaria ad Imperatorem advehebantur, intercipit, formidoloſa reddit itinera. Ad hunc latronem expugnandum Henricus Praſcon à Sigiſmundo miſſus, quum menſes quatuor caſtellum natura, & arte munitiſſimum oppugnaſſet, capto tandem Robacio, cæteriſque latronibus, expugnavit. Cum his etiam Huſſitarum antiſtes captus eſt, qui ſacris apud eos operabatur. Pragam perducti, omnes laqueo enecti ſunt, duo & nonaginta numero. *Bonfin. lib. 3. dec. 3.*

Joannes Giscra Boemorum latronum (qui ab Elizabetha Ladislai Poſthumi matre contra Uladislaum Polonum introducti, ſuperiorem Hungariam latrociniis infeſtam reddebant) princeps, poſtquam in magnas anguſtias ab Mathia Corvino Hungariæ rege redactum ſe conſpexit, armis ſalutem ſe impetrare poſſe diffidens, per litteras culpam ingenuè faſſus, fidele quoque obſequium in poſterum D pollicitus, veniam precatus, impetravit, & duo inſuper oppida cum quinque, & viginti aureorum millibus à rege dono accepit. Telephus autem alter latronum princeps fuſus, & fugatus, in Boemiam reverſus, cùm datam nemini fidem præſtitiſſet, eò miſeriarum redactus eſt, ut in foro ſportulam circumferret, & vix quandoque obulum haberet, quo ad popinas paululum carnis emeret. *Bonfin. lib. 10. dec. 3.*

Christophorus Safrenecius nobili genere ortus, & non contemnendis opibus præditus, facta manu perditorum hominum ſub Caſimiro rege, anno 1480. vias publicas infeſtabat, mercatoreſque Cracovienſes complures copioſos, & honeſtos, Lublinum ad nundinas proficiſcentes diripuerat, & trucidarat. Hac de cauſa proſcriptus, & cùm proſcriptionem contemneret, circumventus, & captus, Cracoviæ juſſu regio capitali pœna affectus eſt. *Crom. lib. 21.*

Ericus Trax, qui piraticam multos annos exercuerat, plurimaque damna Venetis hominibus intulerat, quòd ex Africa veniens naufragium ad inſulam fecerat, captus à Meliis (ad quorum inſulam Melum paucis antè diebus Piſaurus E Venetæ claſſis contra Bajazetem Imp. ſe contulerat) à Piſauro Venetæ claſſis præfecto, propterea quòd is aliquot ante annos civem Venetum Ambroſium Contarenum Franciſci filium, cum quo mercaturæ ſocietatem inierat, nihil ab eo metuentem, cum ejus navi per inſidias contra jurisjurandi religionem apud Theſſalonicam à ſe captum, igni excruciatum necaverat, vivus exuſtus eſt. *Bembus lib. 6. Venetæ hiſt.*

Menaldus Guetra Cantaber, pirata immanis, ex arce portuque Oſtienſi Tiberinas ſubvectiones ita intercipiebat, ut Populus Romanus multarum rerum vinique præſertim inopia premeretur, & advenæ Hiſpani ac Ligures, crudelitatem Barbari timentes, aliò curſum dirigerent: nam ut quodque navigium quis Oſtiam adegiſſet, niſi nautæ ſeſe diripiendos capiendoſque continuò demiſſis velis ſublatiſque remis ad ripam arcis ſubjectam ſiſterent, conjectis ex propinquo tormentis demergebantur. Nec adeò multum abfuerat, quin Pontificias triremes incautè ad amnis fauces provectas interciperet, aut certè demergeret. Eum tandem Gonſalvus Magnus, ab Alexandro VI. Pp. ad ferendam opem vocatus, victum vinctumque Pontifici tradidit. F *Iovius in Gonſalvo.*

Paulus Catinenſis pirata monachus factus. ☞ *Vide Tit. Monachorum Chriſtianorum.*

Horucius Barbarussa, & Hariadenus, patre Græco, abſque eo Mahometis ſecta ſecuto, in inſula Lesbo geniti, quum inopiam domi ferre non poſſent, arrepta bireme, ſpes ſuas omnes mari commiſerunt, ſeſe Camali archipiratæ in diſciplinam tradentes. Sub hoc Camale Horucius, qui uti natu major ad ſe Ducis nomen trahebat, cum Hariadeno multa præda multiſque ſervis atque navigiis adauctus, ac demùm aſcitis in ſocietatem minoribus piratis, prædabundus in Mauritaniam pervenit. Eo tempore Algerii regulus cum fratre armis de imperio contendebat. Hic quum Numidas equites, qui hodie Arabes appellantur, pretio ſibi in auxilium aſciviſſet, alter opportuno novæ gentis adventu magnoperè lætatus, pecunia cum Horucio tranſegit, ut ſe defendendum ſuſciperet: pauciſque diebus Horucius cum valida manu ſclopetariorum, quibus præcipuè Numidæ terrentur, eo impetu geſſit atque confecit bellum, ut Turcarum nomen cùm Numidis tum Mauris omnibus G terribile eſſet. His rebus geſtis, repentè hoſtis factus, Algerii regno potitus eſt: & finitimum quoque regulum, Circello imperantem, vi doliſque aggreſſus expulit. Inde mare undique infeſtum reddebat, & in mediterraneis cum expeditis cohortibus evagabatur, ita militiæ munera cum fratre alterna ſorte partitus, ut nihil terra marive pacatum relinqueretur. Bugeam magno apparatu invadenti dextra manus tormenti ictu abrepta eſt: inde ferream ſibi fecit, qua ad cubitum religata, multis in præliis poſtea feliciter eſt uſus. Multa interim præclara contra Hiſpanos geſſit. Ad extremum immodicæ ſpei plenus, quum Tremiſenii regem, amicum ſociumque à Carolo V. Imp. appellatum, regno expuliſſet, immineretque Orano, Portuique magno, quæ Hiſpanorum præſidiis tenebantur, Punica ſimul & Chriſtiana arma adverſum ſe concitavit. Eo bello ſuperatum, & fuga in ſolitudines evadentem, Hiſpani Maurique equites conſecuti, cum paucis ex familiaribus interfecerunt. Horucii caput in Hiſpaniam tranſmiſſum, circumlatumque in lancea, populis, præſertimque maritimis, inſignem attulit lætitiam, quòd ſublato prædonum rege, diu exopta- H ta ſecuritas litoribus reddita videretur. Sed Hariadenus neque ſpiritu, neque bellica laude Horucio inferior, acclamantibus militibus Imperium ſuſcepit. Is non modò Regni, ſed artium cogitationumque omnium, quæ in fratre eximiæ fuerant, hæres factus, adoptatuſque etiam in fratris cognomen, ad Imperium totius Africæ aſpiravit. Vocatus inde ob nominis celebritatem à Solimanno Byzantium, tribus Baſſis quartus addi meruit, & Roſcertem, Muleaſſis Tunetani regis fratrem, reducendi ſpecie, reverà autem regni Solymanno acquirendi gratia claſſi præfectus, Muleaſſem imparatum Regno expulit, eoque potitus, propter rei navalis peritiam à Solymanno Amiras declaratus, purpuratorumque collegio additus eſt. *Iov. lib. 33. Hiſt.*

Haidanus Smyrnæus archipirata, cui Cacciadiabolo cognomen fuit, Portundum Hiſpanicæ claſſis præfectum ad Colubrariam inſulam cum octo triremibus vicit, & interfecit. Cujus victoriæ ſpolia cùm Barbaruſſa Conſtantinopolim miſiſſet, tum primùm inclareſcere cœpit. *Iovius.*

A Sinæ piratæ, cognomento Judæi, triremium præfecti, filius Tuneti captus, quando Barbaruſſa à Carolo V. regno pulſus eſt, Appiano Iluæ inſulæ, & Populini regulo ſerviebat, & ſacris Chriſtianis initiatus, Barbaruſſa à Gallis evocato, qui Turcica claſſe Italicum littus deprædabatur, inſulæ vaſtaſtationem minanti, redditus eſt. Hunc adoleſcentem Barbaruſſa honoris cauſa ſeptem triremibus præfecit, ſic ut poſtea mitteretur tanquam poſtliminio redditus ad patrem Sinam, uſque ad Svetiam Rubri maris portum, Memphi urbi propinquiſſimum, qui antiquitùs Arſinoes fuit. Ibi enim Sinas, propter navalis diſciplinæ peritiam, ædificandæ adducendæque in Indiam claſſi adverſus Luſitanos à Solymanno fuerat præpoſitus. Verùm ſenex inexpectatam ſingularemque ex recepto filio lætitiam diu ſuſtinere non potuit, quum præ gaudio ſupremum animæ deliquium incurriſſet. Erat Sinas ipſi Barbaruſſæ opinione virtutis ferè par, & ætate æqualis, prudentia verò æquitateque judicii facilè ſuperior, vel ipſo captivorum teſtimonio, qui eum Barbaruſſa, uti ſæpè iracundo, atque acerbiſſimo, mitiorem dominum experti fuiſſent. *Iovius in hiſtor.*

B Anno 1509. cùm pirata quidam Gallus, nomine Mondragonius, navem ex India venientem cepiſſet, & Emmanuel Rex Luſitaniæ per legatum ſuum de hac injuria apud Galliæ Regem conqueſtus fuiſſet, & navem cum opibus, quæ in eam fuerant impoſitæ, ſibi fruſtra reſtitui poſtulaſſet: quatuor naves parari juſſit, quibus Odoardum Paciecum præfecit. Is verò qua celeritate potuit in Mondagronium invectus eſt, quem in ora Callaica, ubi Finem terræ nominant, offendit; qui certamen minimè detrectavit. Fuit utrinque acerrima contentione dimicatum. Paciecus tamen navem unam piratæ depreſſit, & tres cepit, ipſumque piratam vinctum ad Emmanuelem traxit, qui cùm omnia, quæ ceperat, reſtituiſſet, fidemque dediſſet ſe fore ſemper Regi Emmanueli deditiſſimum, neminique Luſitano injuriam deinceps illaturum, cuſtodia liberatus, in patriam reverſus eſt. *Oſor. lib. 6. rer. Emman.*

Verticillus famoſus in campania latro, quum exul præteriti maleficii veniam à Philiberto Auratio Caroli V. Cæſaris exercitus Imp. impetraſſet, Cæſaris milites Neapoli à Gallis, & Venetis obſeſſos, invecto multo pecore, mirifi- C cè adjuvit. Ei ſiquidem ſaltuoſis, & nemoroſis locis aſſueto, notiſſimi erant obliqui tramites, quibus Campania, ſuburbanaque præſertim ad incertum iter obſita eſt, eratque ita familiaris vicis atque oppidis, ut quot boum jugis ager araretur, in numerato haberet, ſolertiſſimèque inſidioſus, unde maximè nocere cuperet, quam volebat, prædam abigeret: uſque adeò feliciter vitatis aut deceptis Gallis, ut una nocte ſupra centum boves Neapolim perduceret, & uſque ad belli exitum nihil induſtriam ſuam, uti pollicitus fuerat, uſquam remittens, ſæpè juxta hoſtium caſtra impunè prædaretur: ſic ut Gallis fruſtra indignantibus magno detrimento foret, & Cæſarianis ſingulare commodum attuliſſe diceretur. Sed hic confecto demùm bello ita inexpectatum ejus beneficii præmium tulit, ut à Prætore Capuæ, viro Hiſpano, & ut plerumque fit, ejus ſpoliis inhiante comprehenſus, in furca ſuſpenderetur: juſta quidem veteris maleficii pœna, ſed omninò iniqua, ſi recentis publici beneficii memoria ſpectaretur. *Iov. lib. 26. Hiſt.*

Impoſtor Eremita, Fracti montis Helvetiorum incola, qui mitam ſanctimoniam, & ſcelerum ſuorum pœnitentiam ali- D quot annis ſimulaverat, Lucernam veniens, à vidua quadam hoſpitio exceptus, eam vel libidinis vel avaritiæ nomine aggreſſus eſt. Illa exclamante accurrit juvenis domeſticus, quem incautum enchiridio Eremita confodit. Vidua elapſa facinus nefarii hominis in platea divulgavit. Ruſticus irrumpens in cubiculum, ab eodem exceptus necatur: mox etiam honeſtus civis cum famulo. Supervenere alii, qui cautiores aliorum facti periculo, armis aggreſſi occiderunt. Ille concidens, hoc unum locutus eſt: *Ietz habichs uff der taſchen. Stumpfius in Helvetia.*

Paulus cognomine Sutor, Baſileæ natus & educatus, in pago quodam Solodurenſium ditionis textoriam exercens, abjectiſſimus homuncio, cùm otio, & converſationi improborum ſe dediſſet, neque ob paupertatem vitiis ſuis indulgere poſſet, rem ſceleſtam commentus eſt. Erat quidam ſenex Baſileæ librorum compactor, Andreas Hager, qui Paulum ex ſacro fonte levarat, & ejuſdem tutelam, mortuis parentibus, pietate motus ſuſceperat. Eum clam interficere, & domum compilare conſtituit. Itaque Nonis Februarii anno Chriſti 1563. ſummo mane ab ancilla nihil mali à domeſtico ſuſpicante intromiſſus, in lecto decumbentem An- E dream, annis atque morbis confectum, de adventu & uxoris liberorumque valetudine amicè interrogantem, malleo interfecit. Saram Falckiſiam, Andreæ affinem, quæ pridie ejus diei Joan. Hoſpiniano Philoſophiæ doctori deſponſata fuerat, & ſenis domum ſola regebat, ſtrepitu audito accurrentem, malleo eodem proſtravit, ſtrenuèque reluctantem cultro librario jugulavit. Mox ſcriniis omnibus reſeratis, pocula aliquot argentea, & pauculos numos, ſpe ſua multùm fruſtratus, ſecum abſtulit. Tegendi ſceleris cauſa, hypocauſtum incendit: ſperans fore, ut oborto incendio domus cadaveribus conflagraret. Verùm cùm incendium in tempore à vicinis extinctum fuiſſet, cadavera duo miſeris modis lacera fuere inventa. Ille, diris ultricibus exagitatus, cùm interdiu ſcelerum conſcientia iter facere ampliùs non poſſet, in pago vicino deprehenſus, & Baſileam adductus, ut & latrocini, & furti, & incendii pœnas lueret, rotæ, crucis, & ignis ſupplicio vivus affectus eſt, Prid. Cal. Martii.

Thomas Rodolphus Scafhuſienſis, ex eorum numero, F qui ementito ſtudioſorum titulo diſciplinæ prætextu ſuæ alimenta quærunt intertiæ, cum obſervaſſet Jo. Schuanfelderum cum uxore Francofurtum abiiſſe, properè Sprendelinguam, pagum vicinum, cujus Eccleſiæ Joannes præerat petit, eundem cum amicis hoſpitibus paulò poſt affuturum fingit, ancillam piſcium afferendorum cauſa ablegat, filiam ejus Ameliam blandis verbis vinum ſibi afferre jubet. Illa patris adventum expectandum eſſe dicente, ira percitus, cultrum ab ea flagitat, pomi decorticandi cauſa. Eo accepto, puerum quadrimum Joannis nepotem jugulat, Ameliam opem ferre conantem, ſeptem vulneribus conficit. E fuga retractus à ruſticis, Ofenhacchi in arcem ducitur, latrocinium fatetur: notu mira ratione ſolutis vinculis, cum nullibi pateret exitus, in Comitis, qui tum peregrè aberat, cubiculum ſe inſinuat, ibique per duos dies latet, ſcrinia compilat, DC. florenos in ſacco ad ſubjectam Mœni ripam præcipitat: ipſe alia ex parte per funem nauticum, qui fortè clatris erat alligatus ferreis, delapſus, Francofurtum repetit. Ibi à ruſticis cognitus, à magiſtratu captus, 22. Feb. anno Chriſti 1570. ignitis laceratus forcipibus, rotæque ſupplicio eſt affectus.

LATROCINIA PUNITA.

☞ *Pete ex loco de Pœna & Punitione.* G

Latrunculorum Ludus.

☞ *Vide infra* Ludus.

Lavare, Lotrices, &c.

☞ *Quære in loco de Operis Mechanicis, Purgatrices.*
☞ *Vide etiam locum de Luſtratione.*
Lavare pedes. Pedilavium. ☞ *Vide locum de Pedibus.*

Laus.

* Definitio Et Etymologia.

Laus, Græcè ἔπαινος, vel αἶνος, & ἐπαινέω, vel αἰνέω laudo dicitur. Eſt autem laus ſermo elucidans magnitudinem virtutis, *ſecund. Ariſt. l. 1. & 3. Rhetor. & B. Th. ſuper Pſ. 17. col. 3.* Dicitur autem à laudo, quod aliquando ſignificat, verbis extollo. *Horat.*

Laudabunt alii claram Rhodon, aut Mitylenem.

Aliquando idem quod nomino. *Plaut.*

Id ut ſcias, Iovem ſupremum teſtem laudo.

Unde illaudatus, qui ne nominari quidem dignus eſt, hoc eſt, illaudabilis. *Virgil.* H

—— Quis aut Euriſtea durum,
Aut illaudati neſcit Buſiridis aras?

Quidam tamen putant, laudo verbum à Laus derivari, nomenque ipſum dici ἀπὸ τοῦ λαοῦ, hoc eſt à populo, quòd propriè laus ſit vox populi de aliquo rectè loquentis.

Laus & laudatio ſic differunt, quòd laudatio eſt oratio ipſa laudantis, laudes continens ipſius laudati: Laus verò eſt virtus ipſa non aliunde proveniens, ſed ſuis nixa radicibus. *Virgil.*

—— Primam meruit qui laude coronam.

Laus Hebr. *Hillut*, *Tehillah*: in Plurali *Hillulim*, *Tehilim*, *Tehilloth*, laudes à verbo *Halal*, Gloriatus eſt, & in 2. conjug. *Hillel*, laudavit clara voce, glorificavit. Cognationem habet *Halal* cum *Zala*, ulteriùs promovit: nam laudare eſt aliquem ulteriùs promovere fama, prædicando ejus virtutes. Hinc ἀλαλάζω, ὑλλέω divulgo laudes alicujus voce clara. Item, *Halela-Iha*, Laudare Dominum.